
DISSERTATIO SVBSECIVA IVLII NIGRONI GENVENSIS E' SOCIETATE IESV DE CALIGA

Qua declaratur quid ea sit Latinis scriptoribus, in sacra Scriptura, Iure ciuili, ac lapidibus vetustis.

Ab auctore iterum recognita, & aucta.

GENVAE,
APVD IOSEPHVM PAVONEM.
Superiorum Permissu. MDCXX.



IMPRIMATVR.

Fr. Matthias Bellacomba S. Officij Genuæ Vicarius Generalis.

Fœlix Tamburellus Vic. Generalis Archiepis.

IOANNI BAPTISTAE SACCO
VIRO CLARISSIMO
SENATVI MEDIOLAN. A SECRETIS
& à censura librorum.

IO. BAPTISTA BIDELLIVS Typographus S. D.

L*AELII Bisciolæ Societatis* IESV *Theologi, scientia doctrinarum omnium eruditissimi, tuiq; amicissimi,* Clarissime Sacce, *subsecivas horas volumine posteriore comprehensas, claudit atq; obsignat dissertatiuncula,* De Caliga Latinorum: *quàm à Iulio Nigrono sodali suo, tui pariter amantissimo, se habuisse fatetur. Sic enim ait:*

Hęc Iulius Nigronus sodalis meus aliquando mecum disseruit. Qui rogatus scripto tradere, quæ disputauerat, mihi hæc exhibuit: quæ digna visa sunt, vt cum subseciuis meis excudi iuberem: addens triginta & amplius exquisitæ doctrinæ sæculi nostri viros, quos per hanc dissertationem, præter antiquos, retulit, obijci posse minutis grammaticis, qui puerulos errare docent. *Rogaui vehementer auctorem operis, pro veteri amicitia, quæ ab vtroq; nostrum mutuis officijs culta est, vt eam disputationem, quamuis operæ leuioris, tamen recudi pateretur ab eo typographo, qui dare in hominum lucem ipsius opera typis suis exoptat, vt vicissim ab illis Typographeo suo splendorem mutuetur. Addebam pre-*

cibus moram editionis Germanicæ Lælianarum horarum, quæ nondum Italiam attigerunt. Obijciebam granditatem voluminis, quod adolescentulis, quibus in primis consultum cupit, vsui nequaquam esse poterit. Prætendebat ille contra ad excusationem, opusculi leuitatem ac materiam, ab senilis ætatis suæ, Theologiæq; professione; nec non ab aliorum operum editorum atq; edendorum grauitate, non parum alienam. Cessit tandem hac pactione, vt tanquã subseciua opella, vt vere est, in publicum prodiret. Insuper, qua est in me beneuolentia, vt aliquid excuderem noui, dissertationem recensuit, auxit, expoliuit. Eam igitur Italici iuris facio, tuique nominis, Vir præstantissime, *claritate respergo; tuæ sapientiæ auctoritate communio. Tu enim littera-*

rum optimarum, & gustum, & thesaurum habes: Tu patronus typographei mei laudator semper, defensorque fuisti. Tu mirifice dissertationis Auctorem diligis, à quo vicissim amaris impense. Quæ mutua inter vos beneuolentia, me ducit in spem fore, vt ille probaturus sit, suum opusculum sub tuo nomine patrocinioq; prodire; tu meum hoc officium erga patronum sis oculis humanissimis aspecturus. Vale: Mediol. Kal. Iun. CIↃ IↃ C XVII.

DE CALIGA DISSERTATIO SVBSECIVA.

Scribendi causa, & propositio rerum dicendarum. Cap. I.

1 MAGNO puerorum damno, tum in dictionario Latinæ linguæ, cui Calepino nomen est, tum in thesauro Ciceroniano Marij Nizolij ad verbum *caliga*, falsa quædam inhæsit interpretatio, qua dicitur esse tibiarum tegumentum quod ab Italis *Calza* nuncupatur. Qui error, cum in omnes fere vocabulorum collectiones infusus est, tum vero in thesaurum Italicæ Latinæq; linguæ, Petri Galesinij nomine prænotatum: quem virum senem adolescens ipse doctissimum existimabam, ac suspiciebam. Versabatur in eadem caligine Glossa in L. *A caligatis* C de nuptijs, cum militem caligatum scripsit ab ocreis ferreis dici. Nec agnouit errorem Antonius Nebrissensis, probans in vocabulario iuris opinationem Glossæ. Ioannes quoque Fernandez L. 3. thesauri scripturarum c. 13. verbo *Calciamenta*, de tegumento tibiarum, non pedum intelligit

Error quorundam in Caligæ notione.

Angeli verba ad S. Petrum in cap. 12. Actuū Apostolicorum, *Calcea te caligas tuas*. Idem videtur Ioanni Stephano Duranto L. 2. de ritib. Eccles. Catholicæ, cap. 9. § 21. quamuis retineat huius loci vulgatam editionem. Quam tamen, ex eiusdem vocis ignoratione, damnant sectarij quidam, merito ipsi notati ac damnati ob hanc causam ab Iacobo Gretsero Soc. Iesu tomo primo defens. Card. Bellarm. l. 2. c. 14. § *Defenduntur actus Apostol.* nu. 6. Nomenclator quoque Hadriani Iunij damnati auctoris in eadē re peccat, num. 128 qui caligam interpretatur tibiarum integumentum, & *caligas follicantes* apud S. Hieronymum epist. 22. ad Eustochium, femoralia vsque ad talos demissa, quæ Itali vocant *calze marinaresche* & nautis sunt in vsu. Nec dubito quin alij multi ex his turbidis fontibus hauserint eundem errorem: quem miror à tot doctis viris, qui Calepinum recognouerunt atque auxerunt, nondum fuisse notatum atque erasum.

2 Est igitur Caliga, bonis Latinis scriptoribus, priscis iuris consultis atque Imperatoribus in iure ciuili, lapidibusque vetustis Romanorum, pedum integumentum, & calceamenti militaris genus, quo Romani milites gregarij ac manipulares in bello & castris

Quid sit caliga, scil. calciam. milit.

castris potissimum vtebantur: in sacra vero Scriptura pro calciamento pariter sumitur, à militaribus non absimili, quo pedes tantum muniuntur. Quo fit, vt caligæ crurum, aut tibiarum operimenta, nō sint: quæ cruralia, tibialia, crurales fascias, & ocreas probati scriptores dicunt. Multo minus hęc vox femorum indumentis aptari potest significandis; quæ feminalia nominantur à Suetonio, & interprete sacrorum bibliorum: femoralia tum ab eodem interprete, tum à S. Benedicto & alijs scriptoribus Ecclesiasticis: succinctoria & campestria ab Horatio, Asconio, & S. Augustino: Subligacula à M. Tullio. Quamquam hæc posteriora vocabula proprie sumpta breuiora pudendorum tegmina significant, vt obseruat post alios Iacobus Pontanus noster in Ouid. l. 5. trist. eleg. 11. De his omnibus videantur quæ diximus in commentario ascetico regulæ XIII. communium nu. 8. & quæ post me scripsit Ioannes Lorinus noster in c. 6. Leuitici n. 10.

Non est crurū nō femorum indum.

3 Quæritur num bracæ, seu braccæ, siue etiam brachæ & bracchæ (his enim quatuor modis scribitur hoc vocabulum) femoralia sonent; & lis adhuc videtur esse sub iudice. S. Hieronymus, quem secuti sunt Ecclesiastici scriptores in cap. 3. Danielis,

An brachæ sint femoralia.

nielis, asserit nomine bracharum femoralia significari, *quæ vsque ad poplites & genua veniunt.* Declarans enim Sacerdotalē habitum in epistola 128. ad Fabiolam, inter cetera de hoc genere vestimenti: *Græce* περισκελῆ, *à nostris feminalia, vel brachæ vsque ad genua pertingentes.* S. Ambrosius l. 1. offic. c. 18 referens verba Exodi 28. præcipientis fieri linea feminalia Sacerdoti, producit siue suam, siue aliorum versionē hoc modo: *& facies illis brachas lineas, &c.* iuit in eandem sententiam S. Isidorus l. 19. Orig. c. 21 & 22. docens femoralia dici quoque brachas, & B. Alchuuinus l. de diu. offic. c. 28. declarans quid sint feminalia veteris Sacerdotis ait, *Huiusmodi habitus ita notus est in nostris regionibus, vt ex eo Gallia bracata denominata sit.* In cap. 3. Danielis adhibita est hæc vox, vbi de tribus pueris dicitur: *Et confestim viri illi vincti cum braccis suis, & tiaris & calciamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.* Ioannes Maldonatus noster in c. 3. Dan. n. 21. braccam ait hoc loco, vestis esse genus incompertum: & non defuisse apud Hebræos, qui femoralia sint interpretati: S. Hieronymus in Commentario Danielis c. 3. tradit verbum Hebraicum à Symmacho versum in ἀναξυρίδας esse: qua voce

The-

Thesaurus linguæ Græcæ multis auctoribus probat braccas, & femoralia significari. Videtur huic interpretationi aduersari, quod subdit idē S. Hieronymus, ab Aquila, & Theodotione redditum pro braccis, *Saraballa*; quæ vox in eodem capite n. 94. substituitur pro *braccis* in repetitione vestimentorum, quæ per miraculum non sunt combusta. Verum ex eodē S. Hieronymo, tibialia & cruralia significari videntur per *Saraballa*, quòd id vocabulum crura quoque tibiasque denotet. Responderim, vel braccas illorum iuuenum fuisse femoralia protensa adeo, vt tibias attingerent, aut operirent, qualia dixi n. 1. nautarum esse femoralia: vel certe, quamuis primaria notione Saraballa fuerint tibiarum indumenta, tamen vsu populi sæpe veras notiones detorquentis, postea signare cœpisse tegumenta femorum, quæ tibijs proxima sunt. Idem accidit in periscelidibus. Nam etsi *σκέλος* sit crus, vnde periscelides; tamen non tibilia dicuntur periscelides, sed femoralia. Itidem *ἀναξυρὶς* interdum ad pedum indumenta porrigitur apud probatos auctores, quæ communiter ad femorum tegmen pertinet. Hinc apud Suidam, & Hesychium synonima sunt *περιμιτάλια* *ἀναξυρίδες*, *Βράκια*. Iuuat hanc signi-

ficationem

ficationem braccarum, cum pro femoralibus sumuntur, Italorum lingua, qui ex bracharum corrupto vocabulo, quæuis femoralia *Braghe* appellant, & femoralia inflata, seu follicantia, *Bragoni*.

4 Obstant huic notioni profani scriptores antiqui, & linguæ Latinæ scientissimi, apud quos *Bracca*, vestimenti genus est intonsum, & varij coloris, vt tradit Diodorus lib. 6. quod *Barbarum tegmen* dicitur à Cornelio Tacito l. 2 historiarum: quo Galli braccati dicti sunt populi prouinciam Narbonensem incolentes. Quamquam in vsu præterea fuit Vangionibus, Persis, Sarmatis, alijsque gentibus sub arctum habitantibus, quòd arcendo frigori aptissima vestis esset. Operiebat enim totũ fere corpus. Ouid. l. 3. tristium, eleg. 10.

Braccarũ nomine vestis totius corporis significatur.

Pellibus hirsutis arcent mala frigora braccæ
Oraque de toto corpore sola patent.

Pomponius Mela l. 2. de situ Orbis c. 1. Scythiam Europæam describens, & mores Sarmatarum: *Totum braccati corpus; &, nisi qua vident, etiam ora vestiti.* Plura de forma braccarum legi possunt apud commentatores Ouidij, Cornelij Taciti, & Pomponij Melæ, nec nõ apud Lazarum Baysium l. de re vestiaria c. 20. Rabbi Abraham, vt refert Maldonatus noster, intellexit apud

Danielem in verbo illo Hebraico, quod in braccas, & saraballa versum est, vestem superiorem; quæ, quia non arsit, euidentius miraculum reddidit: vt etiam Maldonatus n. 21. & 94. probat.

5 Conciliari possunt hæ duæ sententiæ, quemadmodum facit idem Maldonatus n. 21. si dicamus braccas primæuo vsu significasse priscis Latinis, genus quoddam superioris vestis, variæ, intonsæ, frigori pellendo ob magnitudinem aptæ, qua induti erant tres pueri coniecti in fornacem Babylonis. Quoniam vero demittebatur vsq; ad genua, tegebatq; femora, & fortasse tibias & crura, vsu posteriorum adhibita est eadẽ vox ad appellanda femoralia, & vero etiam tibialia, vt in relatis locis patet. Atq; hęc dicta sint per digresionem in gratiam adolescentium studiosorũ, vt habeant plura vocabula, quibus femoralia, & tibialia nominent Latine; neue putent, sublata caliga, femora, & crura integumentorum vocabulis nudata fuisse. Conciliã tur contrariæ sent.

6 Redeuntes igitur ad institutam disputationem, stabiliamus illustremusq; positionem descriptam num. 2. communem ac receptam à tot viris doctis. Atq; vt caligo, quæ in caligæ notione mentibus adolescentiorum posset offundi, discutiatur, Diuisio disertationis.

tres

tres in partes dissertatiunculam tribuam. Prima probabitur, caligam esse pedum indumentum: secunda, spectare ad militiã primæuo vsu: tertia & postrema, de materia, & forma ipsius dissertur.

CALIGAM ESSE PEDVM indumentum. Cap. II.

1 PRobabitur decem argumentis Caligã esse calceum in Latino sermone. Primum sumitur ex cognomine C. Cæsaris Romanorum Imperatoris quarti, qui *Caligula* militari ioco dictus est ex Suetonio Tranquillo in Caligula c. 9. atque id *à Caliga.* Ausonius in Monostichis:

1. argum. à cognomine Caligulæ.

Caius cognomen Caligæ, cui castra dederunt.

Et in tetrastichis de XII. Cæsaribus:

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar.

Spectauit rem eandem Sidonius Apollinaris in panegyrico Auiti versu 105. cum Imperatores enumerans dixit:

Et caligas Caij, Claudij censura secuta est.

Huius cognominis occasionem Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium his verbis narrat, & simul quid esset caliga declarat:

rat: *Quem militari vocabulo CALIGVLAM appellabant, quia plerumque ad conciliãda vulgi studia, eo tegmine pedum induebatur.* Expende lector, *eo tegmine pedum*, quod nõ nisi caliga erat, seu caligula, quæ parua est caliga conueniens Caio, qui puerulus educabatur in castris. Sextus Aurelius Victor in Caligula: *Quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calciamenti militaris, id est caligulæ, sortitus est.* Dio Casſius Græcus historicus, libro 57. vt in editione Latina legitur: *Quòd in castris enutritus militaribus calciamentis pro vrbanis, vteretur.* Quid clarius dici potuit ab his tribus historicis antiquis?

2 Secundum argumentum est ab auctoritate Italorum interpretum Cornelij Taciti, qui Etrusca lingua Tacitum nobis loquentem reddiderunt. Tres legi, Hadrianum Politum, Georgium Datum, & Bernardum Dauanzatum. Primus caligas vertit, *Borzacchini soldateschi.* Atqui vox hæc *Borzacchini* nostratibus designat calceos quosdam, qui à pedibus ad mediam vsq; tibiam perueniunt. Melius mea sententia secundus interpres (vt colligetur ex forma caligæ, de qua cap. 4. n. 1.) qui vertit caligas, *Calzari.* Liguribus autem, & nonnullis alijs Italiæ populis, atq; in primis Etruscis, qui

2. argum. auctor. interpretum Italor.

prin-

principatum in Italica lingua tenent, *Calzaro* calceus est, vt vox ipsa corrupta innuit, & docet Academia Florentina, quæ à furfure cognomentum habet, in suo Vocabulario. Tertius non modo caligam interpretatus est *Calzaro*: sed etiam eleganter ac proprie Caligulam, *Calzarino* conuertit, quasi dicas *Calceolum*; vocabulo vsus Italis diminuente, atq; ad amussim Caligulæ respondente. Ac ne quis hæreat, in hac interpretatione, idem Bernardus in notis ad eum Taciti locum, declarat, caligas, quas *calzari* verterat, soleas esse nudo pedi alligatas; quæ descriptio proba est, vt in cap. 4. demonstrabitur ex columna Traiani. Quamobrem Gaspar Sanctius, qui caligas Petri calceos esse intelligit, vt suo loco cum laude referam nu. 26, non metuat in cāt. 5. n. 100. dicere Caligulam à calciamento militari denominatum: quando historici temporum illorum vicinissimi hoc docent, & tot viri eruditissimi historicorum horum explanatores confirmant.

3 Tertium argumentum est communis sententia virorum prudentissimorum, ac de re litteraria benemeritorum ex omnibus gentibus, qui vt caligam, militarem calceum esse dicunt, cum de Caligulæ cognomine

3. argum. sententia litteratorum.

mine

mine differunt; sic calciamenti genus esse docent, cum vel leges ciuiles, vel sacram Scripturam, vel historicos scriptores veteres interpretantur. Non est animus hic recensere omnes, ne longum faciam, sed aliquot nobiliores. In eorum numero sunt, Philippus Beroaldus in Sueton. Caligula cap. 9. Læuinus Torrentius, & Marcellus Donatus in Suet. Augusto c. 25. Iustus Lipsius in notis ad Cornelium Tacitum l. 1. Annal. n. 172. Pierius Valerianus l. 40, Hieroglyph. §. *Manipularis.* Antonius Augustinus l. de numism. dial. 7. vbi ait inter cetera, caliga vix pedem tegi. Ioannes Antonius Valtrinus Soc. Iesu l. 3. de militia Romana cap. 13. Martinus Delrio Societatis eiusdem par. 1. sacror. adagial. n. 17. Iacobus Gretserus eiusdem Ordinis tomo 1. defens. Card. Bellarm. l. 2. c. 14. §. *Defenduntur actus Apostolici* num. 1. Addantur Iurisconsulti, quos in legum quarundam interpretatione referam c. 3. nu. 3. Adiungantur multi Theologi sacræ Scripturæ interpretes, quos producam in illustrandis duobus Scripturæ sacræ locis, Genesis 14. & Act. 12. in quibus caligarum mentio est: vt videbitur inferius n. 21. & n. 23. & seq.

4 Quartum argumentum est vsus historicorum Latinorum veterum, qui caligam

4. argum. vsus Latin. historic. pro calceamento, potissimum militari, vsurpauerunt. Cornelium Tacitum, ac Sex. Aurelium Victorem, quorum verba nu. 1. transcripsi, prætermitto; quia repetere superuacaneum est. Affero Iustinum l. 38. extremo, de Antiochi regis exercitu loquentẽ: *Argenti certe, auriq; tantùm, vt etiã gregarij milites, caligas auro figerent, proculcarentq; materiam, cuius amore populi ferro dimicant.* Quòd hic caligæ sint pedum munimenta, colligitur tum ex verbo *proculcarent*, quod neq; tibialibus, neque femoralibus aptari potest: tum ex clauis, quibus calcei militum figebantur, vt docebo c. 4. num. 8. quos clauos, aureos ex luxu habebant Antiochi milites gregarij & infimi ordinis. Dat lucem Iustino Valerius Max. l. 9. c. 1. de eodem Antiochi exercitu scribens, quem tradit habuisse, *Magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos.* En crepidas dixit Valerius, quas Iustinus caligas; quia crepidarum ac solearum in genere sunt, vt docebitur c. 2. n. 25. & c. 4. n. 2. Addo Suetoniũ Tranquillum in Caligula c. 52. vbi refert insanam varietatem habitus illius portenti, qua procedebat in publicum. *Modo*, inquit, *in crepidis, vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnumquam socco muliebri.* Cum cetera hic enumerata sint pedum in-

dumenta,

dumenta, crepidæ, cothurni, ſocci, cogimur exiſtimare ſub eodem genere contineri caligam ſpeculatoriam, quam, quia calceus erat, *pedibus abſoluit* Chriſtianus ille militiam repudians apud Tertullianũ L. de corona militis c. 1. vt planius declarabitur, cum de ſpeculatoria caliga ſermo redibit inferius nu. 33. Reuoca huc Iulium Capitolinum, & Trebellium hiſtoricos pariter, ex argumento ſeptimo nu. 7. vbi expendetur prouerbium, *Caliga Maximini*.

5 Quintum argumentum exhibent hiſtorici Græci, qui caligam Romanorum militum, vnde Caius cognomen accepit, *ὑπόδημα ςρατιωτικὸν* interpretati ſunt. Ita vertit Dio Caſsius, in cuius hiſtoria duos obſeruaui locos. Alter eſt in l. 48. vbi narrat veteranos milites per ſeditionem Romæ Senatus locum, & munus occupaſſe: proinde à L. Antonio, & Fuluia M. Antonij vxore per iocum, & contemptum appellatos *Senatum caligatum*, ab vſu *ςρατιωτικῶν ὑποδημάτων*, militarium calciamentorum. Alter locus eſt in libro 57. ſupra nu. 1. notatus: vbi cognomen caligulæ datum ab exercitu refert, *Quòd in caſtris enutritus militaribus ὑποδήμασι, hoc eſt calciamentis, pro vrbanis vteretur*. At ὑπόδημα pedis calciamentum eſt, omnium Lexicorum Græco-

5. argum. ex hiſtoric. Græcor. verſione.

rum testimonio; quibus veteres Glossæ illæ bonæ astipulantur. Hinc Græci excalceatos vocant ἀνυποδήτους, quasi dicerent, sine hypodimatibus, id est calceis. Confirmatur ex interprete vulgato sacræ Scripturæ, qui tenax proprietatis verborum est, ac solidæ auctoritatis. Hic enim sensit ὑπόδημα esse proprie calciamentum; quia c. 3. Exodi, & c.5. Iosue, vbi nos legimus *Solue calciamentum de pedibus tuis*, & Chaldaica interpretatio, *Detrahe calceos*, septuaginta duo interpretes habent ὑπόδημα. Præterea in nouo testamento, Matth. 10. Mar. 1. Lucæ 3. idem ὑπόδημα redditur Latinæ *calciamentum*. Vnde habemus ab eo hoc ὑπόδημα non existimari nisi calciamentum. At plane conuincit optimam esse versionem Dionis, reddentis Græce ὑπόδημα Latinæ caligæ, translatio Genesis cap. 14. vbi LXX. in editione Romana Græce habent, ἕως σφυρωτῆρος ὑποδήματος; & Chaldaica versio, *vsq; ad corrigiam calciamenti*, nostra editio habet, *vsq; ad corrigiam caligæ*. Hinc conficitur ὑπόδημα id calciamentum esse, quod à Latinis caliga nominatur, & bene versam à Dione caligam Latinam in ὑπόδημα, quia mutata vice Genesis interpres ὑποδήματι Græco reddidit caligam Latine. Deniq; Iosephus l. 7. antiquit. Iudaic.

daic. c. 3. vbi narrat fortitudinem Iuliani Centurionis clauatos calceos habentis, id eſt caligas, vt docebo cap. 4. num. 11. eum habere ὑποδήματα dixit.

6 Sextum argumentum petitur ex antiquorum grammaticorum etymologia, & auctoritate. S. Iſidorus Hiſpalenſis l. 19. Originum inſcripſit caput 34. *De calciamentis*: atq; in eo enumerans omnia genera calceorum, hæc habet: *Caliculæ, caligæ, vel à callo pedum dictæ, vel quia ligantur: nam ſocci non ligantur, ſed tantum intromittuntur.* Si ſic denominantur *à callo pedum*, quis non intelligit calceos eſſe? præſertim cum id ſcribatur in capite illo, in quo ſola & omnia calciamenta recenſentur. Confirmatur ex eo, quòd opifex calceorum, qui Plinio, & Agellio *Sutor eſt*, & Plauto *Calceolarius*, vt tradit Horatius Turſellinus Soc. Ieſu in Nomenclatore Italico Latino, verbo *Calzolaio*: dictus eſt à Soſipatro Chariſio vetere ſcriptore in grammaticis inſtitutionibus, *Caligarius artifex*? Quę vox haud dubie deducitur *à Caliga*; & eadem ſignificatione retinetur in aliquot Italiæ, prouincijs, à Latino ſermone, vt par eſt credere, relicta, diciturque *il Calegaro*. Quinetiam in vetuſto lapide, apud collectorem Romanarum inſcriptionum pag. 649. nu. 1.

6. argum. ex etymol. & auct. grãmat.

legitur Sutori caligarius adiunctus hoc modo:

C. ATILIVS C. F.
IVSTVS
SVTOR CALIGARIVS
SIBI ET
CORNELIAE EXORAT
VXORI PI.

Placuit eadem etymologia Smaragdo Abbati, S. Benedicti regulæ explicatori perantiquo, in explanatione capitis 55. vt fusius postea docebo nu. 40. qui Smaragdus caligam esse calciamentum agnouit. Alfonsus Salmeron noster tomo 12. tract. 35. in actus Apost. *Caliga*, inquit, *à ligando calce, id est imo pede dicitur, quasi calciliga. Et cum calx à calcando dicatur, & calceus à calce, liquet proprie caligas non esse tibialia, sed soleas, aut genus calceorum quod plantas, aut calces muniret.* Retuli Alfonsi verba, non tam vt eius etymon probarem, quàm vt intelligeret lector ex eius etymologia, virum doctissimũ sensisse caligas esse calciamenta.

7.argum. ex adagio caliga Maxim. 7 Septimum argumentum exprimitur ex parœmia quadam à Iulio Capitolino relata in Maximini vita per hæc verba: *Caliga Maximini*; hoc est, *Calceus Maximini*. Martinus

tinus Delrio noster par. 1. sacr. adag. n. 17. videtur interpretari prouerbium hoc sensu, vt significetur Maximinus elatus ad summum imperij honorem, ex infimo gradu militiæ, qui erat *caliga*, vt c. 3. dicetur. Verum, vt est apud Paulum Manutium in Adagijs pag. 50. vulgo dici placet, & merito, de hominibus enormis, & ineptæ magnitudinis. Nam ex eodem Capitolino, Maximinus erat, *Pedum octo & prope semis; calciamentum eius, idest campagum regium constat pede maius fuisse hominis vestigio atq; mensura.* Quem igitur calceum, vulgus Latino verbo *Caligam* dixit prouerbium formans, eum Capitolinus prius calciamentum nuncupat, & postea campagum. Quod calcei genus pariter est, principum proprium: de quo Petrus Pithæus L. 1. aduers. Subsec. c. 16. Petrus Faber L. 2. Agonistic. cap. 34. & Iosephus Stephanus Episcopus Vestanus L. de osculatione pedum Papæ c. 18. Idemq; Clericis interdictum, vt illis minime conueniens, obseruat Iacobus Cuiacius, tomo 4. Operum. lib. 21. obseruat. c. 28. ex iure Canonico: c. Peruenit ad nos. dist. 93. vbi reprehenduntur diaconi *Calceatis campagis.* Hæc omnia clariora fiunt ex Trebellio in Gallienis, qui luxuriem Senioris describens, *Caligas*, inquit, *gemmatas*

Quid sit campagus.

annexuit, quum campagos reticulos appellaret. sensus est, campagos, imperatorios calceos à Gallieno spretos, atque in caligas, calceos militares cõmutatos: quibus, quia calcei militum infimi ordinis erant, vt docebo c.3.n.4. gemmas ad pretium atq; ornamentũ addidit. Vides Lector duos alios historicos antiquos Capitolinum, & Trebellium, caligam pro calceo vsurpasse; ac præterea communem fuisse tũc vulgo vsum eius notionis in adagio fingendo.

8 argum. vsus Ciceronis.

8 Octauum argumentum est vsus M. Tullij Ciceronis, qui caligam pro calceo, & scripsit, & dixit. Scripsit inquam l. 2. ad Atticum epist. 3: de Pompeio loquens sub nomine Epicratis his verbis: *Epicratem suspicor, vt scribis, lasciuum fuisse. Etenim mihi caligæ eius, vt fasciæ Cretatæ non placebãt.* Ad locum hunc intelligendum mihi lux affulsit à Paulo Manutio, in epistolæ huius explanatione. Lasciuus, seu delicatus visus est Attico, & Ciceroni Pompeius, quia præter morem gestabat in Vrbe duas res insolitas, & maxime inusitatas, calceos militares, & alba tibialia. Illi caligarum nomine, fasciarum hæc cretatarum vocabulis significabantur. Quid sint fasciæ cretatæ, intelligetur ex hac digressione valde necessaria nostræ disputationi.

9 Romani

9 Romani ſtante florenteq; Repub. nudis cruribus incedebant, quæ non niſi toga demiſſa tegebantur. Primum id apparet manifeſto in ſtatuis erutis è Romanæ vrbis ruderibus ac ruinis: nec non è columna Traiano erecta, in qua non modo gregarij milites, ſed etiam ipſe imperator, ac principes viri ſine cruralibus viſuntur. Deinde perſpicuum fit ex eo, quod Plinius tradit Quinctiliano teſte l. 11. inſtitut. orator. c. 3. M. Tullium ſolitum ad calceos vſque demittere togam, velandarum varicum gratia. Quid opus toga demiſſa, ſi tibialia geſtaſſet? Hæc obuelaſſet varices, quæ in ſuris turgent, etiam toga ſublata. Verum quia nudis cruribus incedebat, varices apparebant, quas ob deformitatem tegere cupiebat, atq; id toga demiſſa obtinebat. Tertio Cæſar Auguſtus, quamquam Reipub. princeps, & mutatis iam in delicias moribus ſeuerioribus, non niſi hieme *feminalibus & tibialibus muniebatur*, vt refert Suetonius in Auguſto c. 82. Vnde colligas, æſtate atq; alijs mitioribus anni tempeſtatibus, nullis tibiarum & crurum integumentis vſum: & præterea inferas cum Læuino Torrentio in eum Suetonij locum, (quem alij ſecuti ſunt) hanc concluſionem generalem: *Nudis ergo cruribus*

Romani ſine tibialibus incedebát.

femi-

feminibusq; incedebant Romani. Quarto ac postremo scribit Quinctilianus lib. 11. c. 3. commemorato, hæc verba: *Palliolum sicut fascias, quibus crura vestiuntur, & focalia, & aurium ligamenta, sola excusare potest valetudo.* Quibus verbis docet ætate sua, fascias crurales non consueuisse deferri, nisi propter morbi necessitatem, qua cogente crura fascijs obuoluebantur, qua remota, nudabantur. Alias coniecturas habet Gaspar Sanctius in c. 5. cant. n. 102.

Non obstat frigus Romanum.

10 Nec frigoris incommodum obijcias: nam Romæ temperatum est cælum: quadraginta duobus gradibus tantum eleuatum polum arcticum habet ex Christophoro Clauio in c. 2. sphæræ: raro niuem cadentem, lapsam illico euanescere videt. Præterea vbi assueueris, frigus ferent crura, quemadmodum manus, & facies, quæ hieme non teguntur; & crura multorum rusticorum, qui paupertatis causa, compluriumq; Religiosorum, qui virtutis gratia nudis cruribus viuunt.

Romani, & Græci discalceati.

11 Et quid mirum incedere Romanos nudatis cruribus, quando multi Romanorũ, & Græcorum excalceati gradiebantur? Nero Imperator, vt Suetonius c. 51. eius vitæ tradit, sæpe discalceatus procedebat in publicum. Insanus erat, inquies: at sanus

Cato

Cato senior, cuius ἀνυποδησία, ideſt pedum nuditas, nota eſt ex Plutarcho in eius vita; Philoſophus inſignis Plato, teſte S. Hieronymo Matth. 10. ciues ſuæ Reip. diſcalceatos ingredi iubebat. Lycurgus idem lege Spartanis indixit, ex Xenophonte, & eos paruiſſe legi arbitror. Simile quid de Athenienſibus prodit Plutarchus in Phocione, ac de Lycurgo Oratore in eius vita. Achillem, Aiacem, Cratetem, & alios Philoſophos antiquiores nudis pedibus ingredi conſueuiſſe prodidit Philoſtratus in epiſtola quadam. Oppianus venatoribus præſcribit, vt ita dicam, nudipedium in venando: & quod eſt notabilius Pædagogus Clementis Alexandrini l. 2. c. 11. Chriſtianis idem ſuadet.

12 Neq; vero nuditas crurum indecora erat, vbi erat in vſu; quia mos erat, non vitium, quòd nulla lege vetaretur. Non Romani ſoli, aut Græci hanc crurum nuditatem tenuerunt. Hebræi præiuerunt, vt dicam nu. 28. Sigiſmeris regij iuuenis, & ſociorum habitum deſcribens Sidonius Apollinaris l. 4. epiſt. 20. ſic ait: *Quorum pedes primi perone ſetoſo, talos ad vſq; vinciebantur: genua, crura, ſuræq; ſine tegmine.* Verum obtinuit vſus paulatim, vt omnes faſcijs crura tegerent. Hinc legis apud Vlpianum

Aliæ nationes ſine tibialibus.

pianum lib. 44. ad Sabinum, & refertur L. *argumento*. ff. de auro, & argento legato, fascias crurales inter necessaria indumenta collocari. Quid quòd ne femoralibus quidem ijdem Romani vtebantur in vrbe? De hac femorum nuditate dicetur nu. 30. 31. nunc ad institutam disputationem redeamus de Pompeio.

Quid peccaret Pōpeius.

13 Quoniam ex Quinctiliano fascias crurales sola valetudo excusabat; nec vlceris excusatio, quam prætendebat Pompeius, admittebatur à viris prudentibus, incurrit reprehensionem, ferens tibiales fascias (quas ex panno fuisse indicat Valerius Max. l. 6. c. 2.) præter morem aliorum ciuium; quemadmodum reprehensus est etiā Clodius, vt dicam n. 14. ob purpureas fasciolas. At in Pompeio insolentia rei augebatur colore; quia fascias cretatas gerebat, vt Cicero loquitur, hoc est candida creta dealbatas, de qua Plinius l. 35. c. 17. Hic color, regius erat in fascijs, quòd regium diadema, non nisi candida fascia esset, vt multis probat Alexander ab Alexandro l. 1. genial. dier. c. 28. Proinde, vt Valerius tradit eodem loco, Pompeio *Candida fascia crus alligatum habenti, Fauonius inquit, Non refert, qua parte corporis sit diadema. Exigui panni cauillatione regias eius*

vires

vires exprobrans: vocansq; eum in suspicionem affectati regni, quod Cicero quoque hoc loco notasse videtur.

14 Sed quò spectat hæc longior de cruralibus fascijs disputatio? Nimirum vt intelligant adolescentes per has fasces in Pompeio significari tibialia, seu crurum indumenta: proinde non posse hanc notionem tribui caligis à M. Tullio nominatis; à quibus, vt res diuersæ, fasciæ Ciceroni displicebant: sed remanere caligis suam genuinam significationem, quam astruere conor in hac dissertatione. Duo namque damnabantur in Pompeio: primũ tibialia candida, vt inusitata, & dominatus affectati argumenta: deinde caligæ, quæ pariter inusitatæ erant in vrbe, cum essent castrensia calciamenta, bellumque portenderent. Notabantur autem ciues, qui præter morem calceos in vrbe mutarent, vt patet in oratione de haruspicum responsis, vbi Cicero idem reprehendit lasciuiam, & decori neglectum Clodij, qui muliebres soleas, & fasciolas purpureas gestasset. Quo fit, vt non sit mirum in Pompeio displicuisse vtrumque, & calceorum mutationem, & fasciarum candidarum gestationem: hoc tamen discrimine, quòd in Clodio luxuries, & lasciuia sese efferebat;

Cur disputatum sit de fascijs cruralibus.

Insoliti calcei vio labãt decorum.

in

in hoc dominandi cupiditas apparebat. Calceorum item vrbanorum contra decorum, in castrenses mutationem exprobrauit idem orator aliquot post annis, M. Antonio in secunda Philippica, cum ait: *Cum caligis & lacerna cucurristi*: quæ verba mox expendam.

15 Locus alter Ciceronis, caligas pro calceis vsurpantis, est in secunda oratione in Antonium; vbi se cum eo componens sic loquitur: *Nam quod quærebas, quomodo redissem: primum luce, non tenebris: deinde cũ calceis, & toga; nullis nec caligis, nec lacerna.* Opponit vrbanæ togæ, lacernam, seu militum seu viatorũ, quæ erat penula pluuiæ propulsandæ comparata, ex Lazaro Baysio l. de re vestiaria. c. 16. Calceis item vrbanis, hoc est, vt Pauli Manutij verbis vtar, *forensibus pedum indumentis* (nam solearum domi erat vsus, non in foro) opponit caligas, quæ calcei sunt castrenses, atq. ex eo, vt opinor, pariter viatorum. Quasi dicat: Ego seruaui decorum in reditu; quia calceos & togam gestaui, vt mos est vrbanorum, non caligas & lacernam, habitum militum ac viatorum. At tu violasti decorum, qui in vrbe, *cum caligis & lacerna cucurristi*, vice calceorum vrbanorum, seu forensium, & togæ.

Alter locus Cic. expenditur.

16 Verum

16 Verum hic aliquis obijciens mihi veram lectionem loci huius esse *Gallicis*, pro *caligis*, existimabit meam euanescere coniecturam. Etenim Agellius l. 13. noct. Atticarum c. 20. al. 21. asserit à M. Tullio scriptum in hac oratione, *cum Gallicis*, &c. Respondeo primum, nonnihil alienum à ratione videri mihi, solius Agellij auctoritate codices omnes M. Tullij *caligis* habentes emendari. Quidni corruptos codices legere potuit Agellius? Vixit sub Hadriano, qui anno, minimum, post Ciceronis mortem, centesimo & sexagesimo renuntiatus est Imperator. Temporis longinquitas ex facili codices manu scriptos vitiat; præsertim si vocabula vulgo mutatione aliqua corrumpantur, quod in hoc accidisse, verisimile est. Mirum præterea codices omnes calamo exaratos ad nos cum *caligis* peruenisse, vt Calepinus qui apud me est, testatur; & Marcellus Donatus cum alijs doctis viris retinuerunt: vnũ Agellium codices incorruptos habuisse. Quasi vero non sit pariter indecorum caligas castrenses in vrbe gestare, quod improbat in Pompeio M. Tullius in epistola ad Atticum commemorata, n. 8. & sequentibus expensa, quam nemo mendosam ausus est asserere.

Obiectio de Gallica soluitur.

17 Ac

Vtrū Caliga differat à Gallica.

17 At veram demus eius orationis lectionem esse, quam Agellius astruit, atque inquiramus, vtrum Caliga differat à Gallica. Pono tamquam certum, quod neque Agellius, neque quisquam alius diffitetur, Gallicam esse genus quoddam calciamenti pedibus muniendis institutum, viatoriū potius, quàm vrbanum: quando intra vrbem in Antonio damnatum est à Cicerone; & à Castritio rhetore apud Agellium libro 13.c.20. in discipulis suis; quos Gallicis calceatos per vrbis vias incedere nequaquam decorum esse dicebat. Approbo deinde cum eodem Agellio, Gallicum *Verbum esse nouum, non diu ante ætatem M.Ciceronis vsurpari cœptum*. Addo Gallicam ab eodem Agellio, ex magistri sui Castritij sententia, in soleis numerari; caligam vero sub solearum genere contineri docebitur postea num.25. Præterea vocem *Gallica* consideranti attente, mihi suspicio venit è Gallia in Latium, atq; in Italiam id solearum genus irrepsisse; nomenq; ex gente, vnde venerat, ei datum à Romanis, Gallicamq; dictam: tum paulatim lasciuia populi,

Quem penes arbitrium est, & ius & norma loquendi,

vt in arte poetica censuit Horatius, non-

nihil

nihil variato vocabulo, caligam nominatam: vel certe Gallica pariter, & caliga nuncupabatur.

18 His positis, probabilissimum mihi videri pronuncio, calceum eundem sub gallicæ, & caligæ nomine vsitatum. Prima ratio; quòd vtraque solea militaris, seu castrensis haberetur. De caliga, tum ex dictis nu. 1. & sequentibus satis perspicuum est, tum copiosius probabitur cap. 3. dissertationis. De Gallica Glossarium habeo, quod Isidoro tribuitur in lit. C. *Calces*, inquit, *Gallicæ militum*. Accedit Paulus Manutius, vir acri iudicio præditus, qui retenta in secunda Philippica emendatione, seu lectione Agellij, *Gallica*, inquit, *castrense pedum calciamentum*. Deinde meam positionem astruere videtur Petrus Faber in Agonisticis l. 2. c. 34. qui ait Sandalia esse, *Caligulas, siue galliculas, vt habet glossarium Græcolatinum, vnde nostrum Galoches deductum*, & Iacobus Pamelius trahit in hanc sententiam Tertullianum in carmine ad Senatorem cap. 2. vbi ait ille,

Caligaque remota
Gallica, sit pedibus molli redimita papyro.

Iungit enim Pamelius caligæ Gallicam in sexto casu tamquam adiectiuum substantiuo, ac licentiam poeticam in extrema syl-

laba producta in verbo *Gallica* putat inesse. Tertio validius fulcio coniecturam meã ex vi vocis σανδάλιον. Vetus glossarium, quòd ego legi, quodque retulit Petrus Faber, sic habet: σανδάλιον, *Gallicula*. Sed idem vocabulum σανδάλιον vt dicetur nu. 23. vulgatus interpres, & S. Hieronymus vertunt *caligam*, & S. Gaudentius *caligulam*. Itaque idem calciamentum erit *Caliga*, & *Gallica*, cui Græce σανδάλιον respondet; per regulam Logicorum ex Euclide L. primo formatam: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. Itidem binomen erit, dictum prius *Gallica*, posterius *caliga* vocitatum; & vtrumque passim, vel ab ipso Cicerone vsitatum; qui *caligam* nominauit scribens ad Atticum, & *Gallicam* in Antonium excandescens, si vera est lectio Castritij.

Primà obiectio soluitur.

19 Duo possunt obijci coniecturæ meæ. Primum est glossarium manuscriptũ Camberonense visum & lectum ab Heriberto Rosuueydo eruditissimo sodali meo, mihique amicissimo, in Onomastico ad vitas patrum verbo *Gallica*: in quo glossario habetur, *Galligula calciamentum Pastorum*. Non ergo erat calceus militaris, seu caligula. Respondeo calciamentum idem militum ac pastorum esse potuisse. Vilis erat caliga, vt demonstrabitur cap. 3. infimi ordinis militaris,

militaris, & idonea ferendis asperarum viarum iniurijs: propterea pastoribus etiã, qui extra vrbes viuunt, in vsu: quemadmodum pauperibus monachis, vt exemplo S. Equitij non multo post docebo nu. 44. Quinetiam Theophrastus in characteribus morum cap. 5. locat inter notas rusticitatis, *clauis calceos suffigere*, quod est proprium caligarum; vt cap. 4. confirmabitur.

20 Altera obiectio est auctoritas Tertulliani, qui loco relato nu. 18 distinguere videtur à Gallica caligam. Recte monet Heribertus noster in eodem Onomastico, non esse admittendam tantam in illo carmine licentiam, quantam censet Pamelius; arbitraturq; verbum *Gallica* rectum esse casum iungendum cum sequentibus verbis sine interpunctione, hoc modo, Soluitur altera obiectio.

Gallica sit pedibus molli redimita papyro.

Vt sit sensus, Senatorem illum cum religione mutasse calceos, & caliga spreta, qua vtebatur, induisse Gallicam. Itaq; Gallica molli papyro redimita pedibus ab eo est assumpta, quæ differebat à caliga. Respondeo primum, non tanta apud me Tertullianum esse auctoritatis in hac re, vt cũ alijs scriptoribus commemoratis antefeceram. Deinde potuit eius ætate ratio cal-

ceorum adeo mutata esse, vt inter caligam & Gallicam ortum esset discrimẽ. Nos autem de illis sæculis loquimur, quæ Latinæ linguæ incorruptam integritatem retinebant. Postremo dicere ausim, Reip. primorumque imperatorum æuo, si caliga & Gallica quidquam differebãt inter se; tam exiguum fuisse discrimen, quàm inter voces ipsas cernitur, quod est fere nullum; proinde alteram pro altera vsurpari. Nec dissentit Heribertus cum ait: *Nescio an promiscue Gallica pro caliga accipiendum.*

9. arg. ex script. Sacra. Primus locus veter. testã.

21 Nonum argumentum est ab vsu Scripturæ sacræ, quæ in vtroq; testamento caligam vsurpauit pro calciamento. Primus locus iam nu. 5. indicatus est in fine capitis 14. Genesis, vbi Abram dicit regi Sodomorum: *A filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Obseruat Martinus Delrio, tum in huius loci explanatione, tum in priore parte sacrorum adagiorũ, n. 17. ex S. Chrysostomo hom. 35. in Genesim, esse formulam adagialem, qua negat Abram, ne vilissimum quid, ac tenuissimum se accepturum in præmium pugnæ; quod significat, nihil omnino. Laudat insuper Martinus prudentiam interpretis vulgati, qui Græcũm ὑπόδημα transtulit in caligam, sciens

caligam

caligam esse calceum viliorum militum, vt demonstrabitur cap. 3. ac nihil vilius tenuiusque dici posse caligæ ligula. Porro caligæ nomine hic, non tibialia, non femoralia intelligi, sed calciamentum aliquod corrigiam habens probatur euidenter. Primum ex verbo Hebraico *Naal* caligæ respondente, quod Gaspar Sanctius noster in Cant. 5. nu. 100. ait omnium concessu *calciamentum* verti: quod ante ipsum notarat Aloysius Lippomanus in catena in Genes. c. 14. confirmatur ex doctrina Benedicti Fernandij pariter nostri ordinis, qui explanans c. 14. Genesis sect. 10. nu. 8. scribit, ab Hebræis explicari, *A filo sartoris, vsque ad corrigiam calciamenti*; vt sensus sit, *à capite vsq; ad pedes, à maximo vsq; ad minimum*. Accedit Chaldaica versio à Lippomano producta, & à me num. 5. descripta, *vsque ad corrigiam calciamenti*.

22. Secunda probatio ex editione LXXII. interpretum, qui verbum Hebraicum reddiderunt ὑπόδημα: quod n. 5. probaui multis calciamentum esse, & nostrum vulgatū interpretem cum Dione Cassio consentire, qui caligæ Latinæ reddidit ὑπόδημα Græcum. Hinc in Latina versione septuaginta Romæ cusa, legis congruenter editioni Græce, & paraphrasi Chaldaicæ, *Vsq;*

Alia probatio ex edit lxx. & recentior. explan.

ad corrigiam calciamenti; quam versionem secutus est S. Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 14. Tertio roboratur germanus caligæ sensus, ex communi doctorum virorum æui nostri sententia, qui caligam in hoc loco, vel calceum, vel calciamentum interpretantur in explanatione cap. 14. Genesis. Ac præter iam productos, Aloysium Lippomanum, Martinum Delrio, Benedictum Fernandium, & Gasparem Sanctium, veniunt in hunc numerum Vatablus, Hieronymus Oleaster, Emmanuel Sà, & Cornelius à lapide.

Alter locus in testam. nouo Act. 12.

23 Locus alter Scripturæ legitur in nouo testamento act. 12. vbi Petro in carcere dicit Angelus; *Calceate caligas tuas*. Græce est ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Nemo dubitare potest, quin bene vulgatus interpres verteria sandalia in caligas, quia nobis hæc translatio proponitur ab Ecclesia retinenda. Sed ad abundantiorem doctrinam probo versionem esse optimam. Primum quia recipiunt eam veteres patres scientissimi Latinæ Græcæque linguæ. S. Hieronymus l. 2. adu. Pelagianos cap. 5. agnoscit hanc versionem, vbi Petrus caligas habuisse narratur, cui tamen præceptum est, Matthæi cap. 10. de non habendis calciamentis. Cassianus l. 1. institut. cap. 2. producit hunc

locum,

locum, vti nos habemus, in editione vulgata. Et cap. 10. eundem locum spectans, (quod Petrus Faber obseruauit) differens de calciamentis monachorum, docet eos licite caligis vti Domini mandato permissis (intellige Marci c.6.& in Petro) qui calciamenta interdixit apud Matthæum c.10. Deinde probatur recte sandalijs caligas reddi, quia in alijs Scripturæ locis vox eadem redditur eodem modo. Testis idem S. Hieronymus, qui c. 20. Isaiæ, vbi Græce σανδάλια sunt, & nos legimus *calciamenta*, sic locum illustrat: *calciamenta*, inquit, LXX σανδάλια, *idest caligas vocant*: quasi dicat, sandalia sunt illa calciamenta, quæ Latinis caligæ nominantur. S. Marcus cap. 6. habet quoque σανδάλια, vbi nos, *calceatos sandalijs*: at S. Gaudentius Brixianus Episcopus serm. 5. de Exodo vertit *calceatos caligulis*.

24 Stabilita vulgata versione, definio nũc per caligas, aliquod pedum indumentum, non tibiarum, aut femorum significari, seu calciamenti genus ad pedes solummodo spectans. Primum ex eo, quòd Gen. 14. vt probatum est nu. 21.22. eadem vox *Caliga*, nonnisi calciamentum dicit; ac verisimile est interpretem accuratissimum, cuiusmodi est vulgatus, in eadem notione vocem

Probat: esse hoc loco calciamentum.

eandem in testamento nouo vsurpasse. Deinde probatur ex vi verbi *calceare*, quod à calce pedis extrema parte deductum ad calceos refertur, & calceos induere sonat: indeq; deriuata sunt illa verbalia, *calciamentum*, & *calceolarius*: quæ nota sunt pueris. Tertio firmatur ex vi Græcæ vocis σανδάλιον, quòd alibi vertitur calciamentum, vt num. 23. demonstraui ex S. Hieronymo Isaiæ c. 20. cui addo S. Gaudentium, qui sermone memorato loquens de S. Petro sandalia sumere iusso, *Calceauit*, inquit, *se in carcere calciamentis suis*. Quarto, demonstratum est supra nu. 5. multis ὑπόδημα reddi solere calciamentum, & nunc ostendi σανδάλιον quoq; calciamentum verti: ergo res eadem erunt sandalium & hypodema, quod probabile putant viri scientissimi Græcæ linguæ. Ioannes Maldonatus Matt. 10. num. 10. & Nicolaus Serarius q. 2. in c. 20. Iudith. Quamobrem sandalium erit indumentum pedis, vt hypodema.

Alia probationes eiusdem conclus.

25 Quinta probatio, posito iterum axiomate producto num. 18. *Quę sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: In actibus Apostolorum idem est sandalium & caliga, vt probatum est nu. 23. in c. 14. Genesis idem est hypodema & caliga, vt ostendi num. 21. Ergo res eadem erit hypodema, & sanda-

llum

lium, atque vt illud pedum est indumentum, ita & sandalium. Sexto in calceis pontificum noui testamenti retinetur à Latina Ecclesia nomē sandaliorum: quod est argumentum calceamenta esse. Legantur de sandalijs pontificijs, Beatus Alchuuinus L. de diuinis offic. cap. 39. Stephanus Eduensis Episc. L. de sacram. altar. c. 11. Petrus Faber l. 2. Agonisticon. c. 34. Io. Stephanus Durantus l. 2. de ritib. Eccl. cat. c. 9. §. 21. Iosephus Stephanus Episc. Vestanus L. de osculat. pedum Papæ c. 18. alios referens scriptores. Septimo probatur ex eo, quod sandalia sæpe vertuntur soleæ, & in genere solearum continentur, quæ sine controuersia pedum munimenta sunt. Glossarium vetus Latinogræcum: *Soleæ, σανδάλια*. Marci 6. vbi nos legimus, *sed calceatos sandalijs*, Beda *soleas* reddit; & ante ipsum S. Augustinus lib. 2. de consensu Euangel. c. 30. B. Alchuuinus: *sandalia dicuntur soleæ*. Octauo cōfirmatur sandalium esse pedis indumentum, atque illud, quod siue caliga, siue Gallica nuncupatur, ex forma, quæ non modo similis, sed eadem est. S. Augustinus loco citato de sandalijs Marci 6. *vt pes neque tectus sit, neque nudus ad terram*. B. Alchuuinus, vbi statuisset sandalia, quæ ipse *sandalias* vocat, esse soleas, subdit:

subdit: *est autem genus calceamenti quo induuntur ministri Ecclesiæ, subterius quidem solea muniens pedes à terra, superius vero nihil operimenti habens, patet: quo iussi sunt Apostoli à Domino indui.* Soleas autem sic describit Agellius loco iam relato, cuius verba erunt huic disputationi magno vsui: *Omnia ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cetera prope nuda, & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt, nonnunquam voce Græca crepidulas.* Verum Gallicæ ab eodem Agellio in soleis recensentur, & caligis eadem forma datur ab interpretibus, vt dicam cursim §. sequenti, & copiosius cap. 4 vbi exhibetur caliga ipsa ex columna Traiana.

Consentiunt recentiores interpr.

26 Iam vero demonstranda est positio auctoritate interpretum recentiorum, qui disertis verbis docent, hoc loco caligas esse aliquod genus calciamentorum. Glossa interlinearis, quam secutus est Hugo Cardinalis: *Genus calceamenti.* Lyranus & Ioannes Gagnæus, *Genus calciamenti non habens corium desuper.* Alfonsus Salmeron, & Emmanuel Sà; *Soleas similes ijs, quibus vtuntur Fratres Minores* Idem aliquibus placuisse tradit Dionysius Cartusianus, qui *calciamenta* vertit. Petrus Ciacconus in scholijs ad Calsianum, ver. *caliga*; & Heribertus

tus Rosuueydus l. 1. de vitis patrum in notis ad vitam S. Macarij Romani nu. 22. calceos esse asserunt has caligas Petri. Ante hos omnes Beda in c. 12. act. ait iuberi Petrum resumere insignia verbi prædicandi, quæ sunt cingulum & calcei, iuxta illa, *sint lumbi vestri præcincti, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Ioannes Lorinus noster in locupletissimo commentario in actus Apost. cap. 12. vers. 8. quem post has meas obseruationes mihi videre contigit, probat hanc nostram conclusionem adeo loculenter ac solide, vt merito Iacobus Gretserus idem nobiscum sentiẽs loco relato nu. 1. sectarios vim vocis huius ignorantes ad eum, tanquam ad magistrũ releget. Deniq; Gaspar Sanctius, qui post Lorinum scripsit, in c. 12. act. num. 34. & in Cant. 5. nu. 100. asserit omnium pæne interpretum consensu caligas in hoc loco, non tibiarum, sed pedum ornamenta, & tegumenta esse. Calceos Apostolicos vocat vulgus Italorum sandalia, seu soleas Capucinorum, sine obstragulis, quales interpretes dicunt fuisse caligas Petri: & pictas videmus in pedibus Apostolorum.

27 Verum obijciat aliquis, verbum Græcum ὑποδῆσαι verti quoque posse ac bene, *subliga*: proinde intelligi, vel de tibiali- bus, Obijc. vis verbi Græci, & soluitur.

bus, quæ sub genu subligantur fasciolis, quas Itali nuncupant *ligamina*: vel de femoralibus, quæ tum thoraci ligulis connectuntur, tum renibus cingulo ipsis inserto astringuntur. Respondeo nobis esse standum editioni vulgatę ab Ecclesia probatæ, quæ legit *calcea*, non *subliga*. Deinde admissa illa interpretatione, dico calceis, qui corrigias habeant, cuiusmodi sunt sandalia & caligæ, optime conuenire; quia dum calceantur, subligantur. Iudæi calceos cum corrigijs ferebant, vt patet ex ijs locis, vbi corrigia calciamentorum cõmemoratur. Gen. 14. Matt. 1. Luc. 3. Io. 1. & nominatim c. 14. Genesis caliga, de qua est controuersia, corrigiam habere dicitur; atque ab Isidoro discimus caligas, seu caligulas solere ligari. Quinetiam caligæ militum in columna Traiani loris quibusdam vinciuntur, & soleas, ac Gallicas scripsit Agellius *teretibus habenis* vinciri, vt dictum est n. 25.

Caligæ Petri nõ sunt cruralia.

28 Ex dictis sequitur non posse intelligi cruralia in caligis hoc loco, potissimum quia Iudæi non ea gestabant æuo illo, vt obseruat Salmeron, quem refert & probat Sanctius cant. 5. n. 100. Prima probatio ex vetustissimis picturis, quæ traditæ nobis per manus ab Apostolicis temporibus,

Salua-

Saluatorem & Apoſtolos exhibent cruribus nudis. Deinde quia ne Sacerdotes quidẽ in miniſterio altaris tibialibus vtebantur, vt obſeruat & diſerte docet Cornelius à Lapide noſter in c. 28. Exodi, nu. 42. Et certe mirum eſt, adeo accurate in Scriptura præſcriptum à Deo numerũ materiamq́; indumentorum Sacerdotalium, & nullam cruralium fieri mentionem. Immo neq; ab ijs ſcriptoribus, qui de his veſtimentis copioſe ſcripſerunt: Philone l.3. de vita Moſis, Ioſepho l. 3. antiquit. Iuda. c.3. Orig. hom.6. in Leuit. S. Hier. epiſt. 128. ad Fabiolam. S. Iſid. l. 19. Origin. c. 21. Beda l.3. de templo c. 3. & ſeq. B. Alchuuino l. de diu. offic. c. 28. ex recentioribus Franciſco Ribera noſtro l.3. de templo cap. 5. & ſeq. Itaque Gaſpar Sanctius vt dixi nu. 26. iure intulit caligas hic non eſſe tibiarum tegumentum. Poſtremo non eſt mirandum tibialium vſum à Iudæis abfuiſſe, cum non fuerit apud Romanos cultiſsimam gẽtem, vt multis probaui in hunc finem ſuperius nu. 9. & ſequentibus, vbi quoque docui nationes alias nudis cruribus ac tibijs ingredi conſueuiſſe.

29 Multo minus de femoralibus intelligi queunt hoc loco Petri caligæ, quia non erat vſus eorum in electo populo, niſi in — Nõ ſunt femoralia quæ

Sacer-

non fere-bant Iudæi. Sacerdotibus tempore ministerij. Gaspa-ris Sanctij conclusio est in c.5. Cant. n. 101. 102. Qui validissimis coniecturis id probat. Prima coniectura est ex Genesis c.9. vbi Noe suam turpitudinem minime filijs dormiens reuelasset, si femoralibus fuisse indutus. Hanc consecutionem ex aliorum sententia facit quoq; Benedictus Fernandus noster in comment. Genes. cap. 9. sect. 7. nu. 1. Secunda coniectura est ex illo casu, qui narratur cap. 25. Deuteronomij; propter quem iubet Deus vxori manum abscindi. Non hic refertur honestatis gratia, & quòd non sit necessarium. Tertia ex c. 6. & c. 16. Leuitici, nec non c. 28. Exodi, vbi Sacerdos sacrificaturus iubetur induere femoralia, ne per gradus ascẽdens ad altare reueletur ipsius turpitudo, vt traditur Exodi 20. & accidit aruspici Tusco, vt dicam §. sequenti, & notat S. Hieronymus in c. 44 Ezechielis, & ep. 128. ad Fabiolam. Ex quo intelligitur non alio tempore fuisse solita gestari. Quarta ex c. 44. Ezech. vbi Sacerdotes induti feminalibus, ea post ministerium deponere iubentur, & in gazophylacio reponere; quo loco S. Hieronymus huic sententiæ fauet. Quę confirmatur auctoritate Nicolai de Lyra (qui quondam fuerat Iudæus) di-

centis

centis eo tempore non fuisse femoralium vsum: ac propterea, vt deducit idem Sanctius num. 100. & seq. potuisse videri crura sponsi, & cum laude marmorea dici, ob pulchritudinem, & candorem.

30 Minus noua videbitur mea positio, quòd Hebræi vulgo feminalibus nequaquam vterentur, si fidem habeamus eruditis scriptoribus obseruantibus eorum vsum neq; Romanis, neque Orientalibus gentibus cognitum per illa tempora fuisse. Sic censet Sanctius, nu. 101. Producam ego probationes in Romanis togatis; nam armatos quòd togæ operimento carerent feminalibus quidem tectos ostendit columna Traiana, tibialibus vero nudatos. Prima probatio ex Suetonio in Aug. c. 8. qui narrat Octauianum Cæsarem hieme tantummodo, *feminalibus*, & *tibialibus*, se munire consueffe, vt docui nu. 10. Quo loco, inter alios explanatores Læuinus Torrentius, infert verba ibidem relata: *Nudis ergo cruribus feminibusq; incedebant Romani.* Secunda probatio ex facto Iulij Cæsaris morientis, qui ex eodem Suetonio in Iulio. c. item 82. *Vt animaduertit vndiq; se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit; simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte*

Neq; Hebræis, neque alijs gentibus femoraliũ vsus.

te velata. Hoc factum idem Torrentius commemorat, vt probet suam meamque sententiam, togatos Romæ feminalia non tulisse. M. Antonius Sabellicus in huius narrationis paraphrasi, refert demissionem togæ ad operienda pudenda, his verbis. *Ore & obscenis partibus velatis*. Confirmatur ex opinione Valerij Maximi, qui l.4.c.5. quod est de verecundia, §.6. refert hoc factum ad hanc verecundiæ virtutem, cum ait: *Quin verecundiæ obsequeretur, ne absterreri potuit: siquidem vtraq; togam manu demisit, vt inferior pars corporis tecta collaberetur*. Tertiam probationē porrigit Trebellius de Saturnino tyranno loquens: *Conuiuio discumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum sagis iussit*. Quarta fit ex Martiale qui lib. 3. epigr. de quodam aruspice Tusco sacrificante sic more suo iocose:

Ipse super virides aras lactantia pronus
Dum resecat cultro colla premitq; manu,
Ingens iratus apparuit hernia sacris.

Euenit illi, quod Deus in veteri testamento suis Sacerdotibus præcauit. siue ergo hermia sit morbus in scroto, vt docet Cor. Celsus l.7. de re medica cap. 18. siue ipsum scrotum vt alij autumant, fit inde nobis certum sine feminalibus sacrificasse. Hæc satis de Romanis; plura legantur apud

Sue-

Suetonij, & Martialis interpretes.

31 Alijs quoq; nationibus, etiam Christianis defuit antiquitus vsus eorumdem femoralium per multa sæcula. Bulgari recens ad fidem conuersi, consulentes de multis Nicolaum primum Papam, sciscitati sunt inter ea, num femoralia induere deberent: respondit Pontifex c. 59. integrum esse vtrumq; quòd non pertineret ad salutem. Ergo illa natio non induebat, cum in Christi castra deuenit. Obseruaueram in commentario ascetico regularum communium Soc. Iesu, reg. 13. nu. 8. & Ioannes Lorinus noster meam obseruationem referens ac probans comment. in Leuit. c. 6. nu. 10. aliquot loca notauit, vnde colligas Christianos præteritis sæculis parum vsos feminalibus. Libet huc nonnulla repetere. S. Ambrosius l. 1. offic. c. 18. agens de Sacerdotibus, qui Dei iussu feminalia ferebant in ministerio altaris, ait hæc verba: *Quod nonnulli nostrorum adhuc seruare dicuntur.* Si nonnulli Sacerdotes Euangelij brachis vtebantur, vt ipse loquitur, imitatione veterum, nō igitur erat communis vsus ac vulgaris omnium hominum, neque omnium Sacerdotum. S. Benedictus in regulæ c. 55. femoralia concedit tantum iter acturis: & Ioannes Cardin. à Turrecrema-

Alijs nationibus quamuis Christianis defuit vsus feminaliū.

D ta

ta tr. 121. in illud caput non admodum probans illam regulæ particulam, affirmat temporibus S. Benedicti, rarum fuisse bracharum vsum. Congruenter regulæ B. Fructuosus eiusdem ordinis (vt est apud Smaragdum antiquum explanatorem eiusdem regulæ cap. 55.) permittit vsum feminalium ijs maxime, qui ministerio implicantur altaris. Cistercienses monachi militantes sub eadem regula, non vtebantur femoralibus nisi equitando, vt tradit Iacobus à Vitriaco Cardinalis in historiæ Occidentalis cap. 14. atque ideo Cluniacensibus monachis obiecerunt vsum domesticum femoralium, tamquam peccatum contra regulam communis Patris Benedicti, vt legitur apud Petrum Cluniacensem lib. 1. alias l. 3. epist. 28. ad Bernardum, obiect. 3. Igitur cum Christiani, Romani, nationesq; aliæ brachas non gestarent, mirum non est apud Iudæos non fuisse in vsu; proinde S. Petrum non potuisse resumere ac subligare sibi femoralia, quæ non haberet: & resumpsisse calciamenta caligarum nomine notata.

10. arg. ab vsu Script Ecclesiast. 32 Decimum & vltimum argumentum probans caligam esse calceum, ducitur ab vsu Scriptorum Ecclesiasticorum, qui Latine ac proprie locuti sunt mille annis

Christianæ Religionis. Nam posterioribus sex sæculis non defuerunt fortasse, qui lingua Latina iam corrupta significationem vocabuli huius detorserint ad significanda vel cruralia, vel feminalia. Verum horum non est habenda ratio ad intelligenda Scripturæ testimonia, & veteres historicos ac poetas, vt vidimus; & ad penetrandum legum imperatoriarum, ac lapidum priscorum sensum, vt videbitur, neç non ad Latine, proprie atq; emendate loquendum. Etenim barbarismum non vitat, qui caligas pro femoralibus, aut tibialibus dicit, tot antiquis historicis, poetis, iurisconsultis, lapidibus Latinis repugnantibus, & vero etiam ipso M. Tullio dissentiente.

33 Primus Scriptor Ecclesiasticus, sit antiquissimus fere omnium Latinorum, Tertullianus. Hic habet verba illa iam exscripta nu. 18. ex c. 2. carminis ad Senatorem. Primus Scriptor Tertullianus.

Caligaque remota,

Gallica sit pedibus molli redimita papyro.

Siue ergo caliga sit eadem res, quæ Gallica, siue differat nonnihil, vt disputatum est nu. 20. indubitatum est calciamenti genus esse, tum illis doctis viris, qui distinguunt, tum ijs, qui coniungunt in vnam eandemq; significationem. Si Beato Rhenano,

nano, & Iacobo Pamelio, Tertulliani explanatoribus, vt par est, fidem habeamus, hic auctor speculatoriæ caligæ meminit, tamquam indumenti pedum l. de corona militis c. 1. enarrans generosam Christiani militis professionem, coronam ab imperatore donatam repudiantis, & ornamenta omnia militaria deponentis ad iudicis tribunal: *Ibidem*, inquit, *grauissimas penulas posuit, reuelari auspicatus: speculatoriam morosissimam pedibus absoluit, terræ sanctæ insistere incipiens: gladium, nec dominicæ defensioni necessarium reddidit; laurea de manu claruit*. Quòd pedibus absoluit, ostendit calciamentum fuisse, atq; id militare, quando cum ceteris ornamentis militaris professionis exuebatur: morosissimam appellauit, quia cursum ad Christianam perfectionem retardabat. Quid esset speculatoria caliga dicetur cap. 3. num. 7.

34 Secundus Scriptor est S. Ambrosius, Latinæ proprietatis æque peritus atque studiosus, qui l. 7. epist. 53. scribens fratribus per omnem Italiam constitutis inuentionem corporis SS. Geruasij, & Protasij martyrum, ait sibi oranti visos inter somnum ac vigiliam, *Duos iuuenes ephebos, vestibus candidissimis, idest colobio & pallio indutos*,

Secund. Scriptor S. Ambr.

dutos, *caligulis calceatos*, *manibus extensis orantes*. Habitum eorum omnem expressit, & speciatim integumenta pedum, quibus erant calceati, loquendi modo vsus, quo interpres vulgatus, qui dixit act. 12. *calcea te caligas tuas*. Quid proprie sit *calceare*, dictum est num. 24. & hic proprie sumitur.

35 Tertius Scriptor est S. Hieronymus, qui constantissime sex locis caligas pro calceis vsurpat. Produxi num. 23. duos ex his locis, quos ibi legisti. Tertius est in ep. 22. ad Eustochium; vbi sic ait: *Milites vestimentis Iesu sorte diuisis, caligas non habuere, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis*. Non inueniuntur in Euangelio, femoralia, tibialiaue prohibita discipulis, sed calciamenta: proinde caligarum nomine non nisi calceos Hieronymus intellexit. Confirmatur ex verbis, quæ præmisit S. Doctor: *Moyses & Iesu Naue nudis in Sanctam terram pedibus iubentur incedere, & discipuli sine calciamentorum onere, & vinculis pellium, ad prædicationem noui Euangelij destinantur*. Christus ergo crucifixus non reliquit calciamenta militibus, quæ diuiderent, quia non ferebat, quæ vetuerat. Postea describens monachos quosdam improbissimos. *Apud hos*, inquit, *affectata sunt omnia; laxæ mani-*

Tertius Scriptor S. Hieronym.

cæ, *caligæ follicantes*, *vestis crassior*, *crebra suspiria*, &c. Follicantes caligas, non ad crura, sed ad pedes pertinere, indicant illa verba, quæ præcedunt in eadem epistola: *Si pes, laxa pelle, non folleat*. Dat lucem Marianus Victorius emendator, & scholiastes bonus operum S. Hieronymi. *Follicare*, inquit, *est instar follium, vento incluso moueri, quod euenit laxis calciamentis*. Ouidium profert, qui dixit alicubi, pedem *in laxa pelle* natare; & Sidonium, *in laxo cothurno*, vt videre licet lib. 8. epist. 11. ad Lupum.

Alij loci S. Hieronymi.

36 Quintus S. Hieronymi locus est in vita Malchi monachi captiui apud latrones Ismaelitas; de quibus scriptum est: *Pallia & latas caligas trahentes*. Sic habet editio Romana recognita ab eodem Mariano. Verum siue *calliculas* legas, vt legit Heribertus noster in vitis Patrum; siue *Gallicas*, vt habet codex ms. Audomarensis, eodem Heriberto teste in Onomastico, siue *caligas*, vt Marianus edidit, non aliud, nisi lata calciamenta trahebant. Nec enim de femoralibus, aut tibialibus intelligi potest trahendi verbum, in hominibus præsertim, quos *seminudo corpore* fuisse præscripserat. Atque ipsa varietas lectionis, quæ in omnibus codicibus calceos signi-

sicat,

ficat, vt ex disputatis nu. 17. & sequentibus patet, aperte demõstrat, caligas apud S. Hieronymum calceos esse. Denique in ep. 47. de suspecto contubernio cap. 3. virginem minus pudicam obiurgans ait: *Caliga quoq; ambulantis nigella ac nitens, stridore ad se iuuenes vocat*. Calceum stridulum notat, qui virginem per vias progredientem indicabat. Quis dicat tibialia & femoralia stridere? Hunc S. Hieronymi locum S. Odo Cluniacensis Abbas referens, vt arbitror ex memoria, lib 2. collationum c. 8. calceos pro caligis dixit: quia calciamentum in *caliga* intellexerat. Ait enim: *Calcei nigelli & nitentes stridore suo oculos lasciuos, in sæuos excitant appetitus*.

37 Quartus Scriptor est S. Augũstinus. Hic tract. 10. in 1. Io. 5. probans offendi Christum caput Ecclesiæ, si Christiani, qui sunt membra lædantur, hæc ait: *Tamquam si velit tibi aliquis osculari caput, & calcare tibi pedes. Forte caligis clauatis conteret pedes tuos, volens tibi tenere, & caput osculari, &c.* Qui te osculari cupiat, & tibi appropinquat, non calcabit aut conteret pedes tuos tibialibus, aut feminalibus, sed calciamentis. Vocat autem caligas clauatas, quia calciamenta huiusmodi clauis configebantur, vt dicam cap. 4. nu. 8. Idem Augustinus

Quartus Scriptor S. Augustinus.

gustinus l. 2. de doctr. Christiana c. 20. refert Catonis responsum caligas vsurpantis pro calciamentis; quod producam nu. 42.

Quintus Scriptor Io. Cassianus.

38 Quintus Scriptor est Ioannes Cassianus, qui caput 10. libri primi institutionũ inscribit: *De calciamentis*, quod est valde notandum, nequis putet de alijs indumentis loqui, quàm de pedum. *Calciamenta*, inquit, *velut interdicta Euangelico præcepto recusantes: cum infirmitas corpori, vel matutinus hiemis rigor, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodo caligis suos muniunt pedes*. Reuocentur huc disputata num. 23 interdixisse Saluatorem discipulis Matt. 10. calciamenta: permisisse Mar. 6. sandaliorum vsum, quæ sunt caligæ, vt probatum est, nu. 23. 25. sensus igitur Cassiani est, illos monachos non vti calciamentis vetitis à Christo: sed in magno frigore & æstu, munire pedes caligis permissis ab eodem Saluatore sub nomine sandaliorum. Multa quæ sequuntur satis superque exprimunt Cassiani sensum, calciamenta significantem; sed hæc in primis, quæ subijciuntur: *Quibus tamen caligis, quamquam licito vtantur, vt pote Domini mandato concessis; nequaquam tamen pedibus eas inhærere permittunt, cum accedunt ad celebranda, seu percipienda sacrosancta mysteria, &c.* Hunc Cassiani locum

cum illuſtrans ſcholiaſtes (quem accepi fuiſſe Petrum Ciacconum, virum exquiſita doctrina politiſsimum) in annotationibus, ver. *caliga*: *caligæ*, inquit, *calcei ſunt*: ſubnectitque in probationem locum actuū Apoſtol. & S. Hieron. in c. 20. Iſaiæ.

39 Sextus Scriptor eſt S. Benedictus in c. 55. regulæ, quod inſcribitur, *De veſtimentis, vel calceariis fratrum.* Hic recenſens omnia monachis ad veſtitum, & calceatum neceſſaria, hæc habet: *Indumenta pedum, pedules, & caligas.* Duas haſce res S. Iſidorus pariter in c. 12. ſuæ regulæ poſuit; atq; vt arbitror, eodem ſenſu. Ex hoc loco primum nobis certum eſſe debet, *Pedules*, vt vox ſonat, ad pedes pertinere. Primum quia regulæ conditor perſpicue dicit, eſſe *pedum indumenta*; & veteres interpretes regulæ id confirmant. Deinde quia Cornelius Fronto l. de proprietate Latini ſermonis: *Pedale*, inquit, *menſura eſt pedis; pedule vero ſub pedibus præſtat vtilitatem.* Heribertus noſter in Onomaſtico ad vitas patrum, verbo *Pedulis* probat ad munimen pedum pertinere hanc vocem, auctoritate Gloſſarum Iſidori, Interpretis Iuuenalis ſat. 1. vſu Gregorij Turonenſis, & aliorum; atque in primis Gloſſarum Græcarum Benedicti, quæ habent: πεδίυλια, πο-

6. Script. S. Benedictus.

Quid ſint pedules.

πόδων καλύμματα: hoc est, *Pedulia, pedum, integumenta*. Tertio, quia Vlpianus à tibialibus distinguit, l. argumento. ff. de auro, & arg. legato: *Fasciæ*, inquit, *crurales* (quas nu. 9. & sequentibus, tibialia esse demonstraui) *pedulesq; , item pilea*, siue (vt legit Cuiacius) *impilia vestis loco sunt*. Vbi vitandus est error manifestus Accursij, qui *pedules*, interpretatur *culcitra*. Confirmatur ex eodem Cuiacio l. 5. obseru cap. 11. *Pedules sic dicuntur*, inquit, *vt Pedula auctore Festo, quæ πέδιλα, vel πόδια*. Addo ipse, etiamnum Romæ & in Latio, intima pedum indumenta, ex linea tela, vulgo dici, *Pedali*.

Caligæ quoque ped. indumenta.

40 Probatum est pedules esse pedum integumenta: videamus iam, num caligæ sint sub eodem genere: quod affirmo. Primum quia S. Benedicto non sunt femoralia. Nam eodem capite, paulo post de femoralibus præcipit, permittens vt ab iter acturis de vestiario accipiantur, & à reuersis lota restituantur. Vnde orta est æuo S. Bernardi disceptatio inter Cistercienses, & Cluniacenses monachos, de qua dictum est n. 31. Deinde S. Benedicto *Caligę* sunt aliud calciamenti genus à pedulibus destincti: Probatur ex regulę contextu. Vbi enim dixisset, *Indumenta*

pedum

pedum, subijcit illico duo genera horum indumentorum; *Pedules*, *& caligas.* Confirmatur ex doctrina Smaragdi in c. 55 regulæ S. Benedicti; qui Smaragdus ita loquitur: *Pedules autem dicit ille, quod nos modo dicimus calceos; caligas ille, quod nos subtalares, vel soccos nominamus. Caligæ autem vel à callo pedum dictæ, vel quia ligantur; nam & calcearij vocantur.* Adeo clare Smaragdus asserit caligas esse calcearios, hoc est calceos, vt vehementer mirer nonnullos recentiores regulæ Benedictinæ interpretes, qui tibialia intelligunt in caligis. Præsertim cum hac ætate, vt præmonui nu. 2. plebs ipsa in multis Italiæ regionibus, Smaragdi vocem retinens, nonnihil corruptam, calceos appellet, *calzari.* Fulcitur eadem doctrina ex regula S. Fructuosi, cuius verba Smaragdus refert: *In hieme*, inquit, *pedules calceent, qui voluerint, idest à die cal. Nouembr. vsque ad cal. Maias: reliquis mensibus æstiuis, caligarum tantum solatio muniendi sunt.* Videtur allusisse ad verba Cassiani, quæ retuli nu 38. Cum igitur monachi S. Benedicti non incederent pedibus nudis, & æstate solas caligas gestarent, liquido apparet, caligas esse calciamenta, quibus munirēt pedes. Reor enim pedules tunc fuisse tegmina lanea, tum ad

arcen-

arcendum frigus, tum ad tegendam nuditatem, cum exibant domum. Illis pedulibus indutos pedes in caligas inserebant egressuri: quemadmodum Fratres Minores de Obseruantia in regionibus frigidioribus faciunt; qui pedes hieme panno laneo calceatos ac vestitos in soccos ligneos induunt. De frigore arcendo dixit S. Fructuosus paulo ante relatus: de frigore simul & nuditate, S. Isidorus cap. 12. regulæ: *Pedules autem vtentur in monasterio, quandiu hiemis coegerit violentia; siue dum Fratres gradiuntur in itinere, vel proficiscuntur ad vrbem*. Hanc immissionem pedulum in caligas, videtur innuere Glossarium Isidori, cum ait: *Pedana, pedulis nouus, qui caligæ assuitur*.

7. Script. S Greg. Papa.

41 Septimus Scriptor sit S. Gregorius Papa; qui l. 1. Dialog. c. 4. de Equitio Abbate, *Ecce*, inquit, *vir Dei, clauatis calceatus caligis, falcem fœnariam in collo deferens veniebat*. In tibialibus, & feminalibus claui non habent locum; habent in calciamentis rusticanis, & castrensibus, vt docebitur cap. 4. nu. 8. Recte ergo clauatas vocat; quia pauper & humilis monachus calceis vtebatur pauperum, & vilium hominum: cuiusmodi erant caligæ militum manipularium: de quarum clauis erit capite

eo-

eodem disputatio.

42 Octauus Scriptor erit Beda, qui in vita S. Cuthberti Episcopi c.8. & 20. narrat eum aliquando surrexisse conualescentem è lecto, dixisseq; domesticis: *Date baculum & caligas*, vt tentaret, num posset incedere. Nemo potest iure dubitare, quin calciamenta petierit, quæ ad ambulandum magis necessaria sunt, quàm femoralia. Quòd autem hoc sensu capiat caligas, manifestum est ex eo, quòd axungiam porcinam à coruis allatam postea scribat præbere consueuisse Fratribus peregrinis ad vngendas caligas. Quis credat peregrinos axungia porcina perunxisse femoralia? Rusticana calciamenta, calore ac puluere siccata, peregrinis vnguntur, ne duritie pedes lædant. Atque hinc elucet elegans, & argutum Catonis Censorij dictum aduersus superstitiosos ab S. Augustino relatum l. 2. de doctrina Christiana c. 20. Hic vir sapiens, cum esset cõsultus à quodam, qui sibi erosas à soricibus caligas diceret, respõdit: *Non esse illud monstrũ; sed vere monstrũ habendũ fuisse, si sorices à caligis roderentur.* Nimirum appetunt sorices calciamenta, quòd ex corio conficiãtur, eoq; peruncto. Atq; hæc satis de prima parte dissertationis cap. secundo expedita.

8. Script. Ven. Beda.

C A.

CALIGAM VSV PRIMÆVO Ad militiam ſpectare. Cap. III.

Caliga ſpectat ad militiam.

1 SECVNDA pars diſſertationis continet, caligam ad militiam ſpectare primo vſu: quod eſt dicere, prima ſui inſtitutione calciamétum militare fuiſſe; ſed poſtea vſurpatum etiá ab vrbanis, viatoribus, ruſticis, Apoſtolis, Religioſis. Prima probatio poſitionis eſt ex dictis cap. 2. nu. 1. vbi demonſtratum eſt C. Cæſarem denominatum Caligulam, à *Caſtrenſi caliga* ex Auſonio: *militari ioco*, ex Suetonio; *militari vocabulo* ex Tacito; *militari calciamento*, ex Aurelio: *militaribus calciamentis*, ex Dione.

Caliga pro militia ſumitur.

2 Secunda probatio ex formula, bonis auctoribus vſitata, qua *Caliga*, pro militia, ſeu militari profeſsione ſumitur. L. Seneca l. de breuit. vitæ. c. 17. probans inductione, nouas occupationes ac moleſtias in hac vita veteribus ſubſtitui: *Marium*, inquit, *caliga dimiſit? conſulatus exercet*: hoc eſt, quamuis relicta militia peruenerit ad conſulatum; tamen in eo ſuas moleſtias, eaſq; graues incurrit. Idem l. 5. de benefic.

fic. c. 16. *Ingratus C. Marius ad consulatum à caliga perductus*: ideſt, ab infimo militiæ ordine, ad ſummam Reip. dignitatē aſcendit. Plinius ſenior lib. 7. hiſt. natur. c. 43 de P. Ventidio, ſenſu eodem: *Plurimi*, inquit, *iuuentam inopem in caliga toleraſſe*, auctores ſunt. Extat inter inſcriptiones Romanas à Iano Grutero collectas, pag. 415. nu. 9. lapis Auximi repertus, cum longa inſcriptione numerante munera functioneſque militares C. Oppij Velinæ tribus, cui lapis erectus fuerat. ex eo imitatione Iuſti Lipſij, tranſcribo tantum quod maxime ad rem noſtram facit:

C. OPPIO. C. F. VEL.
OMNIBVS. OFFICIIS
IN. CALIGA. FVNCTO

Hic *in caliga*, perinde eſt ac ſi diceretur, *In militia.*

3 Tertia probatio eſt ex eo, quòd militia caligata, & milites caligati paſsim dicuntur, idque à caliga, quam militantes geſtabant. Lapis vetus Romæ ab eodem Iano datus pag. 279. num. 3. Imp. Cæſari G. Valerio Diocletiano dicatus, habet in fine milites caligatos. Quid militia, & milites caligati.

HO-

HONORATI. ET. DECVRIONES ET. NVMERVS. MILITVM CALIGATORVM.

Tertullianus lib. de Idololatria. c. 19. reuocans Christianos à militia illa, in qua fit necessitas immolationis: *At nunc de isto quæritur*, inquit, *an fidelis ad militiam conuerti possit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata, vel inferior quoque, cui non sit necessitas immolationum*. In hoc Tertulliani loco explicando, Iacobus Pamelius obseruat, apud veteres iurisconsultos frequentem esse caligatorum militum mentionem, quorum verba in leges relata sunt. Tres nomino. Primus est Vlpianus, l. 2. ff. de ijs, qui notantur infamia: *Dimissum accipere debemus militem caligatum*. Secundus est Venuleius, l. *de militibus*. ff de custodia reorum: *Is, qui exercitum acceperit, etiã ius animaduertendi in milites caligatos habet*. Tertius Arrianus l. *omne delictum* §. exploratores. ff de re militari: *Sed & caligatus, qui metu hostium languorem simulauit, in pari cum eis causa est*: hoc est, capite luet pœnam, vt proditores. Alia iura, seu rescripta imperatorum, mox proferentur, vbi de vilitate caligatorum agetur. Hos milites, caligatos in iure ciuili dici, non ab

ocreis

ocreis ferreis, sed à caliga pedum calciamento militari, diserte affirmant iuriscon-sulti illi recentiores, qui vim legum expendentes, verba minime neglexerunt. Tres pariter produco: Iacobum Cuiaciũ, tomo 2. lib. 10. ff. de excus. Petrum Fabrum l. 2. Agonistic. c. 34. Barnabam Brissonium l. 2. antiquit. selectarum ex iure ciu. c. 5. & lib 3. de verb signif verbo *caligati milites*.

4 Porro caligati milites erant gregarij, manipulares, & ob vilitatem, infimum militiæ ordinem, exercitusq; plebem, vt ita dicam, constituebant. Primum comprobant positionem meam, quæ nu. 2. produxi; dicta nimirum Senecæ de Mario, & Plinij de ventidio, qui ambo pauperem iuuentutem traduxerunt in caliga, hoc est in numero atque ordine caligatorum militum, vnde ad triumphos vsque conscenderunt. Deinde probatur ex historicis. Iustinus l. 38. cum ait in Antiochi regis exercitu tantam diuitiarum copiam fuisse, *vt etiam gregarij milites caligas auro figerent*: significauit gregarios ac viles esse, qui caligas in exercitu gestarent. Tacitus lib. 1. annal. Caligulam, *ad conciliandа vulgi studia*, caligam, iussu matris, induisse tradit. Ergo Tacito miles caligatus, vulgus erat, Posthæc Tiberium inducit de Agrippina

Caligati milites infimi ordinis.

Caligulæ matre conquerentem, quòd *filium ducis gregali habitu*, circumferret. In hoc habitu gregario caliga præcipua erat, quæ nomen puero dedit. Suetonius in caligula cap. 9. *Manipulario habitu inter milites educabatur*. Manipulares milites nostris peditibus infimæ sortis respondent. Notat idem Suetonius in Augusto c. 25. tamquã rem insolentem, ab eo coronas murales, *sæpe etiam caligatis*, fuisse tributas; quibus ob vilitatem ordinis non dabantur. Eodem spectat demissio animi notata ab eodem Suetonio in Vitellio cap. 7. qui *tota via caligatorum quosque militum obuios* exosculabatur.

Confirm. ex lapide antiquo. 5 Tertio confirmatur caligatorum vilitas ex lapide sepulcrali apud eundem collectorem inscriptionum pag. 533. num. 1. vbi caligatus miles cum lixa sepelitur; cuius officium vilissimum erat, exercitum sequi, militiq; seruire, vt erudite tradit Io: Antonius Valtrinus l. 3. de militia Romana, c. 8. exhibeo lapidem minus necessarijs quibusdam omissis.

AVRELIVS. T. F. CAL
VOS. CAL. MIL. LEG. X.
ET AVRELIVS. FLAVI. F.
FLAVIANVS LIXA. ANN.
XVIII. HIC SITI SVNT.

Id

Id est: *Aurelius Titi filius Caluus, caligatus miles legionis decimæ, & Aurelius Flauij filius Flauianus Lixa, annorum* 18. *hic siti sunt.*
6 Quarto fauent iura ciuilia conclusioni meæ de vilitate caligatorum. Honorius, & Theodosius impp. permittunt facultatem contrahendi coniugij cum ingenuis, sine solemnitate matrimoniorũ, *A caligato milite, vsq; ad protectoris personã*, vt habetur C. de nuptijs. l. *à caligato*. vbi Glossa bene ait: *Quasi dicat à minore vsq; ad maiorem*. Quæ Glossa dum asserit caligatos milites dici, *qui habent caligas de corio*: si nomine caligarũ, calceos intelligit, ferenda est interpretatio: si cruralia, vel femoralia, doctorũ virorũ omnis generis, etiam iurisconsultorum, quos produximus in hac tota dissertatione, tamquam torrente obruitur. Clarissime omnium; vilem ordinem caligatorum esse declarat Iustinianus Imper. nouella 74. collat. 6. in aut. Quibus modis natur. fiant legit. §. quisquis. *Sed neq; agricolas*, inquit, *aut milites armatos, & quos lex caligatos appellat; hoc est viliores, & obscuriores non perscrutamur*.

Confirm. vilitas ex iure ciu.

7 Obijcies ex Iosepho lib. 7. de bello Iudaico c. 3. & Egesippo iuniore l. 5. de excidio Ierosolymitano c. 30. Centurionem quendam è castris Titi, templum ascen-

Obiectio de caliga Cẽturionis, & speculatoria soluitur.

Caligulæ matre conquerentem, quòd *filium ducis gregali habitu*, circumferret. In hoc habitu gregario caliga præcipua erat, quæ nomen puero dedit. Suetonius in caligula cap. 9. *Manipulario habitu inter milites educabatur*. Manipulares milites nostris peditibus infimæ sortis respondent. Notat idem Suetonius in Augusto c. 25. tamquã rem insolentem, ab eo coronas murales, *sæpe etiam caligatis* fuisse tributas; quibus ob vilitatem ordinis non dabantur. Eodem spectat demissio animi notata ab eodem Suetonio in Vitellio cap. 7. qui *tota via caligatorum quosque militum obuios* exosculabatur.

Confirm. ex lapide antiquo. 5 Tertio confirmatur caligatorum vilitas ex lapide sepulcrali apud eundem collectorem inscriptionum pag. 533. num. 1. vbi caligatus miles cum lixa sepelitur; cuius officium vilissimum erat, exercitum sequi, militiq; seruire, vt erudite tradit Io: Antonius Valtrinus l. 3. de militia Romana, c. 8. exhibeo lapidem minus necessarijs quibusdam omissis.

AVRELIVS. T. F. CAL
VOS. CAL. MIL. LEG. X.
ET AVRELIVS. FLAVI. F.
FLAVIANVS LIXA. ANN.
XVIII. HIC SITI SVNT.

Id

Id est: *Aurelius Titi filius Caluus, caligatus miles legionis decimæ, & Aurelius Flauij filius Flauianus Lixa, annorum* 18. *hic siti sunt.*

6 Quarto fauent iura ciuilia conclusioni meæ de vilitate caligatorum. Honorius, & Theodosius impp. permittunt facultatem contrahendi coniugij cum ingenuis, sine solemnitate matrimoniorũ, *A caligato milite, vsq; ad protectoris personã*, vt habetur C. de nuptijs. l. *à caligato*: vbi Glossa bene ait: *Quasi dicat à minore vsq; ad maiorem*. Quæ Glossa dum asserit caligatos milites dici, *qui habent caligas de corio*: si nomine caligarũ, calceos intelligit, ferenda est interpretatio: si cruralia, vel femoralia, doctorũ virorũ omnis generis, etiam iurisconsultorum, quos produximus in hac tota dissertatione, tamquam torrente obruitur. Clarissime omnium; vilem ordinem caligatorum esse declarat Iustinianus Imper. nouella 74. collat. 6. in aut. Quibus modis natur. fiant legit. §. quisquis. *Sed neq; agricolas*, inquit, *aut milites armatos, & quos lex caligatos appellat; hoc est viliores, & obscuriores non perscrutamur*. Confirm. vilitas ex iure ciu.

7 Obijcies ex Iosepho lib. 7. de bello Iudaico c. 3. & Egesippo iuniore l. 5. de excidio Ierosolymitano c. 30. Centurionem quendam è castris Titi, templum ascen- Obiectio de caliga Cẽturionis, & speculatoria soluitur.

disse, (vt fusius referam c.4.nu.11.) caligis clauatis munitum. Hinc deducitur non tantam esse vilitatem caligatorum, quantam descripsi; quando Centuriones caligati pugnabant. Respondeo, probabile quidem esse Centurionem illum fuisse caligatum, quia confixa clauis acutis gerebat ὑποδήματα vt Græce habet Iosephus; qui vna cum Egesippo addit, esse clauata more militum Romanorum. Verum in eiusmodi calciamentis clauatis poterat esse aliquod discrimen, quo distinguerentur à caligis manipularium: (quemadmodum videbitur c.4.n.2. in caligis vigilum, & prætorianorum, qui cancellatas habent habenas) vel forma, vt non corrigijs ligarentur pedibus, sed obstragulis tegerentur more nostro: vel materia, vt clauis non ferreis, sed argenteis configerentur; vel ornamentis aliquibus, quibus carerent caligæ vulgares, quod Iusto Lipsio placuit. Idem fere dicendum est de caliga speculatoria, quæ quod esset speculatorum, & exploratorum debebat esse leuior. Meminit speculatoriæ caligæ Suetonius in caligula c. 52. cuius verba transcripsi cap. 2. nu. 4 meminit & Tertullianus l. de corona militis. c. 1. cuius verba leguntur cap. item 2. num. 33. Quo ex loco veri-

verisimiliter colligimus Christianum illum militem à Tertulliano laudatum, è numero speculatorum fuisse; quoniam *speculatoriam morosissimam pedibus absoluit*; hoc est dimisit caligam speculatoriam, quam ex more gestabat pedibus, remorantem in via Christianæ religionis illum ipsum, qui gerebat. Atque hæc satis de secunda parte dissertationis, tertio capite explicata.

DE MATERIA ET FORMA *Caligæ militaris*. Cap. IIII.

1 CALIGA militaris, de qua est dissertatio, non aliud esse videtur, nisi solea sine obstragulo, habenis alligata pedi, multis minutisque clauis inferne suffixa. Vt autem descriptio hæc, vna cum materia formaque ipsius intelligatur, placet hoc loco exhibere formam eius expressam ex ingenti columna marmorea Romæ Traiano Imper. erecta ab Senatu, cochlide intus, extra vero mirabili adeo artificio cælata, vt figuræ omnes tum summæ, tum imæ, magnitudinis eiusdem oculo videantur. Bellum Dacicum feliciter ab eo Imperatore cum De- Descriptio caligæ cum figura.

cebalo rege gestum particulatim, ad rerum gestarum veritatem extrinsecus insculptum habet. Ibi fluuij, naues, pontes, turres; munitiones, castra, pugnæ, captiui, captiuorumq; ac militum arma, vestes totusque habitus Romanorum pugnatorum visitur. At nisi nos fefellerit, qui expressit ac typis edidit Romæ anno 1616. quidquid in ea columna mirabiliter cælatum est, cum explicatione Alfonsi Ciacconi, caligæ formam quam quærimus, habemus, & lectoris oculis subijcimus.

a Passim



2. Paſsim in ea columna Romani milites calceati videntur, quemadmodum cernis, quibuſdam calceis, qui ſolearum in mo-

Explicatur imago caligæ.

dum plantam muniunt, sine obstragulis, quæ superiorem pedis partem tegant. Habenis astringuntur superne sæpius circumductis, quæ bis supra talos tibiam circum voluunt. Obseruatam à me duplicem caligæ militaris formam, hoc loco exprimi curaui. Alteram in pedibus vigilum, & militum prætorianorum elegantiorem vidi, decussatis supra pedem corrigijs, atq; inter priores digitos ductis. Alteram sæpius expressam vulgarium militum, circumuolutis rarioribus supra pedem tantum, non inter digitos habenis. Iussi crus totum repræsentari, vt cernas nudum à tibialibus esse. Linea sub genu fefellit Alfonsum Ciacconum n.31. qui tibialia inde collegit, caligas ea vocans ex errore vulgi toties reprobato. Potius inde inferendum est sub armis aliquid feminalibus simile tulisse. quod superius in armatis non negaui, subtraxi togatis, relinquens peritioribus eam disputationem, vtrum in castris femoralia ferrent. Sed iam videamus, quàm bene cum columna Traiana conueniant, quæ de materia caligæq; militaris forma scriptores prisci tradant.

Caliga est sub genere solearũ.

3 Soleam esse diximus in descriptione. Oculus confirmat in præmissa imagine. Non diffitetur Alfonsus, qui exhibuit imaginem.

ginem. Supra c. 2. nu. 25. copiose probaui caligam contineri sub genere solearum, tum quia Græce sandalium dicitur, tum quia docuit Agellius soleas nominari atq; crepidas, seu crepidulas, illa calciamenta, quæ plantas solummodo tegunt, & vinciuntur habenis, cuiusmodi esse videtur in columna calceus militaris. carere autẽ obstragulo, id est operimento partis supernæ pedis, soleam, Gallicam, crepidam, docuit Agellius l. 13. c. 20. verbis illis: *Plantarum calcos tantum infimæ teguntur, cetera prope nuda.* Carere eodem sandalia, quæ soleæ sunt, tradidit S. Augustinus, & B. Alchuuinus cap. 2. n. 25. carere caligas S. Petri scripserunt multi recentiores doctores producti cap. 2. nu. 26. præsertim ij, qui dicunt caligas esse simillimas calceis Fratrũ Minorum, intellige Capucinorum; qui calcei nominantur Apostolici, similes caligis ex hac columna expressis. Alligari pedi corrigijs, siue habenis caligas militum in hac imagine perspicuum est. congruit Agellius, qui dat soleis, crepidis, Gallicis teretes habenas. consonat Scriptura sacra, quæ caligis, sandalijs & alijs calciamentis corrigias attribuit. Locos collegi cap. 2. nu. 27. concordat S. Isidorus. l. 19. c. 34. qui scripsit: *Caligulæ, caligæ, vel à callo pedum*

dictæ, vel quia ligantur: quæ verba repetiuit Smaragdus in c. 55. regulę S. Benedicti. Soleas autem ex corio fieri, sæculis cunctis consuetum fuit. Sufficiat S. Isidorus loco proxime relato: *Soleæ materiales ex materia corio intexta.* & post de corrigijs: *corrigiæ à corio vocantur.*

Vtrum in caligis lignum inesset inclusum.

4 Quæri potest an lignum aliquod in caliga soleæ adiunctū esset. Ioanni Antonio Valtrino l. 3. de militia Romana c. 13. suppingendum videbatur. Adduxit S. Isidori testimonium sic scribentis: *Caligarius non à callo pedum, sed à calo, ideſt ligno vocatus, sine quo consui calciamenta non possunt, quod Græci καλοπόδιον dicunt. Fiebant autem prius ex salice tantum. Hinc & calciamenta dicta, quòd in calo, id est in ligno fiant, vel quòd calcentur.* Confirmari potest hæc opinatio auctoritate Smaragdi, qui, vt est scriptum cap. 2. nu. 40. caligas in regula S. Benedicti dicebat esse calceos illos, quos æuo suo *subtalares vel soccos* nominabant. Nos hoc tempore soccos esse ligneos concipimus, atque in Italia corrupta voce (vt in alijs multis rebus nominandis accidit) *zoccoli* vocitantur. Accedit ligni vsus in braxeis tragœdorum cothurnis, *Quos*, vt affirmat idem S. Isidorus, *quidam calones appellant, ex eo, quòd ex salice fierent.* Neces-

sitas

ſitas hoc lignum requirit, vt in eo ſoleæ clauis ſuffigantur, quòd caligæ multos clauos habere dicantur à multis Scriptoribus, quos nu. 13. recenſebo. Ratio ſuadet duplex; tum vt calciamenta hæc in longis itineribus, aſperitate viarum ſaxoſarum, diuturnitate belli, durabilia forent: tum ad tuendam militum valetudinem, vt ſemper, etiam in cœno atque humido ſolo ſtantes ambulanteſque ſiccos haberent pedes. Quam ob cauſam æuo noſtro non pauci ſoleas, crepidas, calceos, ſubere ſuffulciri, aut etiam inferciri curant, quo vim hiemalem commodius ac ſalubrius ferant: idque imitatione veterum; de quibus legendus eſt Petrus Victorius lib. 15. variar. lect. c. 23.

5 Equidem diſſentio; ac nullum ſuppactum lignum caligæ pronuntio: ſed ſolam ſoleam plantæ ſubſtratam fuiſſe. Statuæ veteres & columna Traiani me diſſentire cogunt; quæ non niſi ſoleas eaſque tenues oculis exhibent. Adde quòd nequaquam à tam multis Scriptoribus ſine vlla additione, ſoleæ dicerentur caligæ, ſi lignum ſuppactum haberent. Dicta priſcorum, & rationes diſſoluuntur facillime. Iſidori locus parum idoneus eſt, quia loquitur de forma lignea pedem humanum imitante,

Carebāt ligno caligæ militares.

te, quæ in calceos, dum consuuntur, intromittitur. Id sonant manifeste verba illa; *sine quo consui calciamenta non possunt:* & illa: *Quòd in calo, id est in ligno fiant.* Norunt id probe sutores caligarij, & nos videmus. Neque obstat Smaragdus, qui loquitur de nominibus æui sui, quo lingua Latina corrupta erat. Isidorus sane lib. 19. c. 34. sæpe momorato distinguit soccos à caligis, cum ait (vt c. 2. nu. 6. & c. 4. nu. 3. scriptum est) caligas ligari, soccos non ligari. De cothurnis tragœdorum non est nobis cura, neq; disputatio, quoniam multum à caligis differunt. Necessitas ligni nulla est ad clauiculos excipiendos, quia res ipsa nos docet, sine ligno clauis soleas suffigi posse, vt planius explicabitur nu. 8. 11. Nec ratio prior vrget de conseruatione diuturna caligarum, quoniam in hunc finem claui comparati sunt. Multo minus valet posterior, quia soccellus ligneus impeditissimum redderet militem tū in via, tum in pugna; in qua oportet eum, quam expeditissimum esse.

Vtrum caliga tibiam attingeret.

6 Controuersum quoq; est inter viros doctos, ascenderetne caliga vsq; ad mediam tibiam, an talos tantum attingeret habenis. Attrahunt ad medium crus Io: Antonius Valtrinus, Ioannes Lorinus locis sæ-

pe

pe citatis, nec non qui notas in Festũ scripsit, definiens omnia calciamentorum genera Romanis ita fuisse, vt Turcarum hodie: quæ vulgus Italorum vocat *Borzacchini*. Hanc generalem propositionẽ postremi huius auctoris, Iacobus Pamelius in scholijs ad Tertullianum l. de pallio. c. 4. refert ex Scaligero atque improbat. Ego pariter arbitror huius Scriptoris falsam esse sententiam: veram, & priscam caligã militarem, de qua disputamus, stante Rep. Romana, & primis Imperatoribus dominantibus talem fuisse, qualem in columna Traiani cælatam conspicimus. Non enim ad mediam tibiam pertingit, nec pertingere potest. Soleam tantum esse probauimus, plantæ inhærentem, pedi talisque alligatam loris, siue habenis: qua sui parte potest ad crus medium peruenire? Dabo fuisse alios calceos, qui supra talos assurgerent: nego inter eos caligam militarem esse numerandam. Negatur

7 Neque vero testimonia, quæ producuntur, me de gradu deijciunt. Horatius affertur, qui l. 1. Sat. 6. ait: Soluuntur obiecta.

Nam vt quisq; insanus nigris medium Impedijt crus Pellibus, &c.

At non est sermo hic de caliga militari, sed de calceo Senatorio; vt eo loco Dio-

nysius

nysius Lambinus obseruat. Verum non licet à diuersis facere illationem, vt iurisconsulti clamant, ex l. *Papinianus*. ff. de Minoribus, & c. *per venerabilem*. § verum. Qui filij sint legit. Itaque non valet hæc argumentatio, calceus Senatorius ad medium crus perueniebat; igitur etiam caliga militaris. Ingeritur Titinius apud Festum dicens: *Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas.* At hic locus non vno modo legitur: sed admissa lectione producta, & interpretatione verbi *Tibiatim*, vt significet ad mediam tibiam, respondeo ex ipso Festo, Mulleum esse calceum regum ac patriciorum; atque ex Isidoro, rubri coloris: cuiusmodi expressus cernitur in nummo Anthemij Augusti, quem exhibet Iacobus Sirmondus noster in notis ad Sidonium Apollinarem, in panegyrico Anthemij versu XIII. In hoc nummo calceorum auriculæ mediam tibiam attingunt. Eadem respõsio datur testimonio Tertulliani l. de pallio c. 4. dicentis: *Impuro cruri, purum, aut mulleolum inducit calceum*: quia de caliga non est sermo. Proferenti vero tessellatum marmoreum pauimẽtum, quod Augustæ Vindelicorum effossum dedit antiquitatis studiosis Marcus Vuelserus vir clarissimus, spectaturque inter inscriptio-

nes

nes Romanas pag. 356. & in quo gladiatores depugnant in calciamentis excedentibus talos, oppono rationem eandem: non licere à gladiatoribus ad milites; à calceis illorum, ad horum caligas argumentari. Diuersa est vtrorumque ratio, professio, habitus, calceatus: & fortasse sæculum, in quo mutati sunt mores & calcei.

8 Postremo caliga hæc militaris, erat clauis, multis, minutis, ferreis suffixa & munita, conseruationis, vt arbitror, gratia; vt diutius duraret, asperitatique saxorum resisteret. Præsertim quòd claui, vt ex Iuliani Centurionis lapsu num. 11. intelligetur, ita erant infixi soleæ, vt terræ solum contigerent, mucrone, seu cuspide, quemadmodum reor, non capite, quod planta pedis calcabatur. Clauos admittit Alexander ab Alexandro, vna cum scholiaste Andrea Tiraquello l. 1. genial. dier. c. 20. & l. 6. c. 22. qua concessione data, coguntur caligam calciamentum esse fateri, qua in confessione video ambos dubitantes hærere. Verum ne videar id mihi dari velle sine probatione; testes subijcio fide dignos. Primus est S. Isidorus lib. 19. Orig. c. 34. de calciamentorum genere; Inter cetera: *Clauati, quasi caluiati, eo quòd minutis clauis, idest acutis, soleæ caligis vinciantur.*

Caliga clauis cõfigebatur.

nysius Lambinus obseruat. Verum non licet à diuersis facere illationem, vt iurisconsulti clamant, ex l. *Papinianus*, ff. de Minoribus, & c. *per venerabilem*. § verum. Qui filij sint legit. Itaque non valet hæc argumentatio, calceus Senatorius ad medium crus perueniebat; igitur etiam caliga militaris. Ingeritur Titinius apud Festum dicens: *Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas*. At hic locus non vno modo legitur: sed admissa lectione producta, & interpretatione verbi *Tibiatim*, vt significet ad mediam tibiam, respondeo ex ipso Festo, Mulleum esse calceum regum ac patriciorum; atque ex Isidoro, rubri coloris: cuiusmodi expressus cernitur in nummo Anthemij Augusti, quem exhibet Iacobus Sirmondus noster in notis ad Sidonium Apollinarem, in panegyrico Anthemij versu XIII. In hoc nummo calceorum auriculæ mediam tibiam attingunt. Eadem respōsio datur testimonio Tertulliani l. de pallio c. 4. dicentis: *Impuro cruri, purum, aut mulleolum inducit calceum*: quia de caliga non est sermo. Proferenti vero tessellatum marmoreum pauimētum, quod Augustæ Vindelicorum effossum dedit antiquitatis studiosis Marcus Vuelserus vir clarissimus, spectaturque inter inscriptio-
nes

nes Romanas pag. 356. & in quo gladiatores depugnant in calciamentis excedentibus talos, oppono rationem eandem: non licere à gladiatoribus ad milites; à calceis illorum, ad horum caligas argumentari, Diuersa est vtrorumque ratio, professio, habitus, calceatus: & fortasse sæculum, in quo mutati sunt mores & calcei.

8 Postremo caliga hæc militaris, erat clauis, multis, minutis, ferreis suffixa & munita, conseruationis, vt arbitror, gratia; vt diutius duraret, asperitatique saxorum resisteret. Præsertim quòd claui, vt ex Iuliani Centurionis lapsu num. 11. intelligetur, ita erant infixi soleæ, vt terræ solum contigerent, mucrone, seu cuspide, quemadmodum reor, non capite, quod planta pedis calcabatur. Clauos admittit Alexander ab Alexandro, vna cum scholiaste Andrea Tiraquello l. 1. genial. dier. c. 20. & l. 6. c. 22. qua concessione data, coguntur caligam calciamentum esse fateri, qua in confessione video ambos dubitantes hærere. Verum ne videar id mihi dari velle sine probatione; testes subijcio fide dignos. Primus est S. Isidorus lib. 19. Orig. c. 34. de calciamentorum genere; Inter cetera: *Clauati, quasi caluiati, eo quòd minutis clauis, idest acutis, soleæ caligis vinciantur.*

Caliga clauis cõfigebatur.

tur. Suspicor esse scriptum ab Isidoro, *Clauiati*, non *Caluiati*; sed nihil muto sine codice manuscripto. De hoc clauorum genere, viri eruditi capiunt illud Iuuenalis in Satyra 3. conquerentis in magna frequentia populi, se premi, percuti, male accipi à turba:

Planta mox vndique magna
Calcor, & in digito clauus mihi militis hæret.

Quia cuspis clauorum terram tangebat, ideo clauus militis infigebatur in digitum eius, qui planta militis calcabatur. Congruit cum Iuuenale atq; affulget illi S. Augustinus tr. 10. in 1. Io. 5. cuius verba legātur cap. 2. nu. 37. ex quibus illa faciunt ad rem nostram: *Forte caligis clauatis conteret pedes tuos.* Equitius quoque, vt accepimus à S. Gregorio l. 1. dial. c. 4. *clauatis calceatus caligis* incedebat. Refero ad caligas Festum libro de verborum significatione scribentem dici, *Clauata, calciamenta clauis confixa*. Lucillij versus apud Nonium it eodem:

Sufficit huic: clauis fulmentas quattuor addit.

Hoc est, quatuor clauis addit calceis fulmentas.

9 Sed quid *fulmenta*? Respondeo dictas

esse

esse à fulciendo, quemadmodum & *fulmentum* ex fulcimento contractum. Proinde apud Sidonium Apollinarem columnæ, quibus ædes fulciuntur, nuncupantur fulmenta, l.2.ep.10, ad Hesperium, in hendecasyllabis; Quid sint fulmētæ.

Fulmentis Aquitanicis superba:

Id est, columnis è marmore Aquitanico in iugis Pyrenæis cæso, vt obseruat Iacobus Sirmondus noster in notis ad eum locum. Itaque fulmentam arbitror esse corium illud, quo calcei veteres ac detriti suffulciuntur; seu quod substernitur calceis, cùm reficiuntur, & nos Itali vocamus *Taccone*. Meminit fulmentarum, & Plautus in Trinummo, qui Lucillio dat lucem:

Quid ego nunc agam?
Nisi vt sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accommodem:
Fulmentas iubeam suppingi soccis.

Hinc parans ornamenta pugnandi, cogitat de calceis reficiendis, qui tum refecti erunt, cum fulmentas suppactas habebunt.

10 Ad maiorem huius loci ac vocabuli lucem affero tria hæc fere idem significare: *Fulmentas*, *suppacta*, *caligarium solum*. De fulmentis dictum est abunde. De suppactis Glossarium vetus emendatum in hoc Quid sint suppacta, & solum caligariũ

 verbo,

tior, confixum clauis calciamentum gerens, vsu militarium virorum, non considerauit polito lapide stratum solum, quod cauendum foret; sed quasi in campo præliaretur securus, labitur, &c. ex his deducit prudens lector, primum caligatum fuisse Iulianum, vt dixi quoque cap.3.nu.7. tum quia ὑποδήματα ferebat ex Iosepho, quod verbum caligæ reddidit Dio ex disputatis c.2 num.5. tum quia tradunt ambo more militum cęterorum fuisse calceatum. Deinde spectet pæne oculis caligæ formam crebris, & acutis, clauis confixam. Postremo intelligat, quod dixi num. 8. probauique ex Iuuenale atque Augustino, clauorum cuspides tellurem contigisse. Transijt ad rusticos hic mos suffigendi calciamenta clauis. Theophrastus id obseruauit in Græcia: nos in Italia passim conspicimus.

12 Altera probatio est, nomen impositum clauis factis ad vsum caligarum, ab ipsis caligis manifesto deductum, quo claui huiusmodi dicuntur *caligares*, & *caligarij*. Plinius l.9.c.18. tradit in Lacubus Lario, & Verbano, Vergiliarum ortu, exiltere pisces: *squamis conspicuos crebris atque præacutis, clauorum caligarium effigie.* & lib.22. cap.22. Fungo nascenti caligarem clauum rubigine nocere tradit. Sosipater Chari- Probatur ex cognomine clauor.

 sius

sius in Grammaticæ institutionibus: *Caligarius artifex: caligaris clauus*. Caligarios dixerunt idem Plinius & S. Isidorus, vt dicam nu. 14.

Claui multi erãt, atq; minuti. 13 Dixi nu. 8 multos fuisse clauos in caligis. Nam creberrimos dixit Iosephus in calciamento Iuliani Centurionis extitisse. Iuuenalis Sat. 16. innuit hanc crebritatem:

Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos Millia clauorum.

Ob hanc multitudinem necessariam clauorum caligariorum, consueuerunt interdum Imperatores donare militibus clauos huiusmodi: idque donatiuum *Clauarium* nominatum est, vt prodit Dionysius Gothofredus in notis ad Festum. lit. C. Tertio minutos fuisse scripsi ex Isidoro num. 8. atque hoc necessarium erat, cum essent multi.

14 Quarto ac postremo ferreos fuisse asserui. Plinius lib. 34. cap. 14. à quo verba transcripsit S. Isidorus lib. 16. Orig. cap. 20. disputans de multiplici genere ferri: *Aliud*, inquit, *breuitate sola placet, clauisque caligarijs*. Aeneis interdum vsos in eandem rem, lego apud Nonium, qui Lucillij versum habet:

Fulmentas

Fulmentas clauis aneis subcudere.

Verum luxuria mortalium vsque eo processit, vt æs & ferrum in aurum mutaretur; tum apud Græcos, tum apud Romanos. De Græcis lege Iustinum libro 38. qui narrat in Antiochi exercitu tantam pretiosorum metallorum, quorum amore insaniunt mortales, fuisse copiam, *vt etiam gregarij milites caligas auro figerent*: quod confirmat Valerius lib. 9. cap. 1. vt dixi superius cap. 2. num 4. Tradit præterea Plinius lib. 33. cap. 3. *Agnonem Teium Alexandri Magni præfectum, aureis clauis suffigere crepidas* consueuisse: quod etiā Plutarcho, & Athenæo lib. 12. cognitum fuit. Hunc luxum auertens ab homine Christiano Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. c. 21. *Vere ergo*, inquit, *turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea velut donaria: quinetiam circumcirca clauos soleis infigere æquum censent.* Irrepsit & in Latium idem luxus, fœdauitque Romanos. Testis Plautus in Bacchidibus:

Sed diues ne est istic Theotimus? CH. etiam rogas?
Qui soccis habeat aurum suppactum solum.

Si Plauti æuo hic luxus, quantus postea, imperio atque opibus aucta Roma? exi-

ſtimare licet proculcatum fuiſſe aurum in caligis militaribus, etiam à gregarijs militibus, vt in exercitu regis Antiochi.

Atq; hæc ſatis de forma materiaq; caligæ, quam auro conſignauimus, ac ſuffiximus.

SVM-

SVMMARIVM RERVM AC VERBORVM

QVÆ IN HAC DISSERTATIVNCVLA *continentur.*

Primus num. significat caput: sequentes numeri paragraphos.

A

B

C

Campa-

Lapi-

L

M

N

P

Quæ

Q


R

S

T

Emenda p. 32. lin. 14. Gallicam. p. 73. l. 12. calces. p. 80. l. 12. digitum.

FINIS.



GENVAE,

APVD IOSEPHVM PAVONEM.

MDCXX.

Superiorum Permissu.